MANUALE PONTIFICUM

PRO FUNCTIONIBUS PERSOLVENDIS

CANDELARUM, CINERUM, MAJORIS HEBDOMADAE,
AC VIGILIAE PENTECOSTES

EPISCOPO CELEBRANTE, VEL ASSISTENTE


AB ILL. ET REV. DOMINO

D. FRANCISCO FELICE EX COMITIBUS TIBERII

EPISCOPO VALVEN ET SULMONEN

Ad usum Sacrosanctae Cathedralis Basilicae Sulmonen

Et omnium Ecclesiarum Cathedralium exaratum.



NEAPOLI AN. MDCCCXXIII.

EX PORCELLIANO TYPOGRAPHEO.

Publica Auctoritate.

TYPOGRAPHUS LECTORI

S. P. D.

Quae ad Dei pertinent cultum, Apostolo teste, cum ad aedificationem debeant, et secundum ordinem fieri, incredibile dictu est quot ad conciliandam Sacris reverentiam, et Divini Numinis venerationem in fidelium cordibus excitandam externi ritus inducti, praescripti, observati, quotque in iis illustrandis perdocti celebresque viri calamum prae viribus exercuerint. Ipsam vero tamen eamdem librorum copiam et parere confusionem, et inducere satietatem, et totum hominem ad alia plerumque distractum, occupare, ita ut inopem copia faceret, non pauci caeremoniarum, quos vocant, Magistri dictitabant; cum plerique illis ex auctoribus ut haereticos arguerent, alii ut mysteria depromerent, hi ut mysticam rituum significationem declararent, illi ut fidei regulis conformes ostenderentur sedulam navarint operam; et licet una omnes omnia illustrarint, ea tamen colligere,

et undeunde extricare, operosissimum cuicumque, ne impossibile dicam, futurum.

Non recentibus, sed obsoletis hujusmodi querelis remedium aliquo saltem modo adhibens, Benedictus XIII, antequam ad Pontificatus apicem eveheretur, Beneventanensis Ecclesiae Archiepiscopus, typis edidit Memoriale rituum majoris Hebdomadae ad usum Sanctae Beneventanensis Ecclesiae.

Cum vero in ipso, et multae desint Pontificales functiones, ut illae Candelarum, Cinerum, Vigiliae Pentecostes, aliaeque, cumque ante correctionem Caeremonialis Episcoporum in lucem, pro sua tantum Cathedrali Ecclesia, editum, nullimode nunc obvenientibus festivitatibus usu caeremoniarum potest esse Magistris.

Agnovit id, qui et generis vetustate, qua nitet, et sublimi scientiarum profunditate, qua pollet, et insigni cum in Deum, tum in Proximum caritate, qua flagrat, paucos habet pares, et qui teneris ab unguiculis Ecclesiae addictus, summa animi contentione scientiis, praesertim Ecclesiasticis, indesinenter vacat, vacavit, in Praelationis fastigio a Deo constitutus ILLUSTR. AC REVEREN. FRANCISCUS FELIX EX COMITIBUS TIBERII, suffragantibus meritis, Valvensis ac Sulmonensis Ecclesiae Episcopus, et memoratis modo

defectibus, pro sua sacrorum rituum exquisita intelligentia, et sua in omnes Ecclesias benignitate, hoc opusculo occurrit, in quo non modo quae in memorato Benedicti XIII. desiderantur, addita, sed quae etiam omnibus Archiepiscopis in Metropolitanis Ecclesiis usui esse possint, digesta, ad normam effati Caeremonialis correcti, ut uno oculorum conjectu, quid Pontificale Romanum in hujusmodi praescribat functionibus, observetur, quidque parandum, et quomodo functiones ipsae, in quibus ne transversum quidem unguem oportet discedere, in posterum omnes debito ordine, laudabili modo, ac ratione, omnique confusione sublata, adamussim sint peragendae.

Non est, fateor, hic liber rerum sublimium copia refertus, non antiqua eruditione distinctus, sed quotquot adhuc extiterunt, et per manus vagantur riturgicis libris longe utilitate praestat; Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis apprime necessarius, cum velut una in tabula depicta contineat, quae tot in libris huc illuc descripta, tempus requirerent, patientiam, et memoriam haud poenitendam, ut ad manus, cum opus fuerit, haberentur.

FRANCISCUS FELIX

EX COMITIBUS TIBERII

SACRAE THEOLOGIAE, AC UTRIUSQUE JURIS DOCTOR
CONGREGATIONIS ORATORII DE URBE

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS VALVEN ET SULMONEN:

Eidemque S. Sedi immediate subjectus:

BARO CIVITATIS PENTIMAE, TERRAE VICTORITI, AC FEUDI SANCTAE CRUCIS.

Cum praesens Manuale ex Caeremoniali Episcoporum, Pontificali Romano, Decretis authenticis Sacrae Rituum Congregationis, ac Memoriali rituum majoris Hebdomadae Eminentissimi Domini Cardinalis Ursini Archiepiscopi Beneventani, postea Benedicti XIII, Pontificis Maximi, fideliter a Nobis exaratum fuerit pro functionibus persolvendis Candelarum, Cinerum, majoris Hebdomadae, ac Vigiliae Pentecostes pro faciliori Pontificum usu, adjectis etiam nonnullis Adnotationibus praestantiorum Auctorum; mandamus, et praecipimus omnibus et singulis Ecclesiasticis viris utriusque nostrae Dioecesis, ac praesertim Caeremoniarum ma-

gistris, ut hocce Manuali nostro a Nobis, ut sequitur, digesto et concinnato, in hujusmodi Pontificalibus Functionibus utantur. Datum Sulmone in Palatio nostro Episcopali die 28 Aprilis, Sancto Pamphilo Praedecessori nostro sacra, anni 1823.

Franciscus Felix
Episcopus Valven et Sulmonen.

De mandato Illustrissimi, e Reverendissimi D. D. Episcopi Valven et Sulmonen.
Joannes Baptista Colelli
a Secretis.

TITULUS I.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

CAPUT I.

DE FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

Episcopo Assistente, et Candelas tantum benedicente.

§. I.

De praeparandis pro sacris Functionibus hujus diei.

In Secretario.

1. Paramenta Missalia albi coloris pro Celebrante, et Ministris. (Si venerit in Dominica Septuagesimae, Sexagesimae, vel Quinquagesimae, paramenta coloris violacei, et Diaconus et Subdiaconus utuntur dalmatica, et tunicella, quia fit Missa de Dominica).

2. Intorticia pro elevatione Missae.

In Aula majori paramentorum.

1. Pluviale violacei coloris pro Presbytero assistente.

2. Planetae, et planetae plicatae violacei coloris pro Canonicis.

3. Pluvialia quatuor pro Ministris, vel saltem unum pro ministro de baculo juxta consuetudinem Ecclesiarum (*a*).

4. Planeta plicata pro Crucifero.

Notandum quod in Cathedralibus, in quibus plures sunt dignitates, praeparanda sunt tot pluvialia, quot sunt dignitates (*b*).

In Altari Majori.

1. Altare majus solemnius ornatum cum cruce, et sex candelabris.

2. Alia candelabra pro horis canonicis removenda ante adventum Episcopi.

3. In eo duo pallia, videlicet alterum album, et supra illud alterum violaceum removendum post processionem, nisi festum venerit in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae, vel Quinquagesimae.

4. Paramenta Episcopi super eo, videlicet, mitra simplex, pectorale, pluviale et stola violacei coloris, crux pectoralis, cingulum violaceum, al-

---

(*a*) *Caerem. Episc. lib. I. cap. XI. n.* 1.
(*b*) *Caerem. Episc. lib. I. cap. XV. n.* 6.

ba, et amictus: omnia velo serico violaceo cooperta: et pastorale in cornu Epistolae.

5. Scamnum panno viridi coopertum a latere Epistolae pro Celebrante, et ministris.

6. Crux Capituli in latere Epistolae pro processione.

In Abaco seu Credentia Altaris Majoris.

1. Duo Candelabra cum luminaribus pro ceroferariis.

2. Thuribulum cum navicula.

3. Vas aquae benedictae cum aspersorio.

4. Vasa argentea ad abluendas manus cum medulla panis, et mantile ad abstergendum.

5. Mappa linea pulchre elaborata apponenda super gremio Episcopi, cum incipit candelas distribuere.

6. Tabella Indulgentiarum.

7. Prope ipsam mensam in loco opportuno, et ab oculis populi, quantum fieri potest, remoto, erit vas cum carbonibus accensis, ac forcipibus pro usu thuribuli (*a*).

8. Paramenta alba pro Episcopo pro assistentia

(*a*) *Caerem. Episc. lib. I. cap. XII. n.* 20.

Missae, videlicet pluviale, stola, et cingulum albi coloris, nisi festum venerit in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae, et Quinquagesimae.

9. Mitra pretiosa, et auriphrygiata. Si vero venerit in Dominica Septuagesimae, Sexagesimae, et Quinquagesimae mitra auriphrygiata tantum.

10. Calix de more.

11. Ampullae vini, et aquae cum pelvicula, et manutergio.

12. Missale pro Celebrante.

13. Epistolarium, et Evangeliarium.

In nostra sacrosancta Cathedrali Basilica Sulmonen. additur bugia pro Canonico celebrante.

In Presbyterio, et Choro.

1. Faldistorium cum veste, et pulvinaribus violaceis; deinde albis pro assistentia ad Missam, nisi festum venerit in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae, vel Quinquagesimae.

2. Praeparanda igitur in primis erit candelarum cerae albae ea copia, quae sufficiens videbitur pro Ecclesiae qualitate, ac Canonicorum, aliorumque de gremio Ecclesiae numero, necnon et pro laicis, quibus juxta consuetudinem Ecclesiae distribui soleant. Hae omnes collocari pote-

runt super aliqua mensa inter Altare et Sedem Episcopi, ita ut Episcopus, in sua sede stans, commode possit eas aspergere, et thurificare.

3. Prope eandem mensam Missale cum suo tegumento violaceo, deinde albo pro Missa, nisi festum venerit in Dominicis Septuagesimae etc. ut dictum est supra num. 1, bugia, et liber Canonis.

4. Sedes Pontificalis duplicatis vestibus ornata albi interius, et violacei exterius cum suis pulvinaribus, nisi festum venerit in Dominicis Septuagesimae etc. ut supra num. 1.

5. Presbyterii, et chori pavimentum undique tapetibus stratum.

6. Sedilia Canonicorum suis pannis tecta.

7. Ritualia pro cantoribus in processione.

8. Custodes qui populum arceant, ne indecenter Episcopum opprimat.

CAPUT II.

DE SACRIS RITIBUS IN HOC FESTO PURIFICATIONIS B. M. V. ABSOLVENDIS.

§. I.

De accessu Episcopi usque ad paramentorum sumptionem pro benedictione candelarum.

1. Post tertiam Canonici ad Episcopium (*a*).
2. Episcopus solito comitatu ad Ecclesiam, or-

(*a*) » Notandum semel pro semper quod Cano-
» nici tenentur associare Episcopum quandocum-
» que Pontificali Cappa indutum venientem, vel
» ad suum Palatium redeuntem, ut pluries decre-
» vit Sacra Rituum Congregatio. Debent eum ex-
» pectare in Aula; convenit autem ut Episcopus
» non sit nimis morosus, et tenentur cum eo pro-
» gredi per viam ab ipso electam, etsi altera sit
» multo brevior. Eo solo casu non tenentur eum
» ab Episcopali Palatio excipere, si hoc nimis
» distet ab Ecclesia; tenentur tamen etsi Episco-
» pium distet ab Ecclesia biscentum passibus, ut
» eadem S. C. R. decrevit *die* 17 *martii* 1663.

ganis continue, et incessanter sonantibus usque ad principium benedictionis (*a*).

3. Post consuetam adspersionem, orat ante Sacramentum, et Altare majus.

4. Interim Diaconi assistentes in Aula majori paramentorum pro accipiendis planetis plicatis: et pro assistentia subrogantur duo alii Canonici immediate sequentes.

5. Episcopus post orationem ad propriam sedem cum praefatis duobus Canonicis.

6. Diaconi assistentes parati ad Episcopum, recedentibus duobus Canonicis subrogatis.

7. Immediate Acolythi cum paramentis pontificalibus ad Episcopum.

8. Episcopus, deposita cappa, accipit paramenta, videlicet: amictum, albam, cingulum violaceum, crucem pectoralem, stolam, et pluviale

---

» *Vide decreta authentica novissime Romae edita*,
» *num.* 2056. Nec excusantur ab associatione prae-
» textu modicae pluviae: *Ibidem num.* 2127 *ad*
» 2. Etiamsi distantia sit passuum biscentum, et
» ultra n. 3538 ad 6.

(*a*) Jos. Catalani *tom. II. cap. XVI. §. VII. num.* 1.

violacei coloris, pectorale, et mitram simplicem, et sedet.

9. Interim Canonici omnes in locis suis stantes, seu in sacristia, si prope est, accipiunt sacra paramenta eis convenientia, dum induitur Episcopus pluviali; eo excepto quod Diaconi, et Subdiaconi non quidem dalmaticis, sed planetis ante plicatis in hujusmodi officio utuntur cum sit feriale.

10. Ministri induuntur pluvialibus, et crucifcrarius planeta plicata in Aula majori: et statim in choro.

§. II.

De Benedictione candelarum.

1. Accedentibus ministris de libro, et bugia, Episcopus, deposita mitra, surgit; incipiens competenti voce in tono feriali benedictionem, dicit, manibus junctis: *Dominus vobiscum* cum orationibus prout in Missali, et respiciens aliquantulum versus candelas.

2. Cum incipit ultimam orationem, accedunt duo Acolythi, unus cum thuribulo et navicula, alter vero cum vase aquae benedictae et aspersorio.

3. Finita benedictione, Episcopus, ministrante naviculam Presbytero assistente parato, qui tunc

cum praefatis ministris accedit, imponit incensum in thuribulum, et benedicit more solito: deinde, accepto aspersorio de manu ejusdem assistentis, aspergit in medio, a dextris et a sinistris ter candelas; et ab eodem accipiens thuribulum, simili modo ter eas thurificat.

4. Recedentibus Presbytero assistente cum duobus Acolythis, Episcopus sedet accepta Mitra.

§. III.

De Candelarum distributione.

1. Dignior ex capitulo paratus accipit de manu sacristae, sive camerarii candelam pulchre ornatam, et cum debita reverentia illam osculatus dat in manu Episcopi, quam pariter osculatur. Episcopus vero non osculatur candelam (*a*), sed illam tradit alicui ex suis cappellanis tenendam prope Altare, et statim dignior paululum recedit. (*Si quis Episcopus adsit, hic porrigit candelam Episcopo sine osculis; qui et primus omnium in distributione recipit similiter sine osculis* (*b*).

(*a*) *Caerem. Episcopor. lib. II. cap. XVI. n.* 8.

(*b*) *Caerem. Rom. lib. II. cap.* 29.

2. Tunc elevatis hinc inde fimbriis pluvialis Episcopi per Diaconos assistentes, ponitur super ejus gremio per duos Cappellanos mappa linea.

3. Statim per Cappellanos sive acolythos capiuntur de mensa, sive de manu camerarii, aut sacristae, aut alterius ad eam curam deputati, candelae grandiores pro Canonicis, et porriguntur ad manus Diaconi assistentis ad sinistram Episcopi, qui illas ministrat Episcopo.

4. Eodem tempore dignior ille, pluviali indutus, facit reverentiam, primo Altari, deinde Episcopo, ascendit ad eum, et accipit ab eo candelam, osculando eam, et manum Episcopi reverenter.

5. Et tunc cantores incipiunt cantare antiphonam: *Lumen ad revelationem gentium etc.*

6. Similiter et alii Canonici parati ordine suo accipiunt candelas.

7. Accedentibus Diaconis, ut supra, subrogantur in assistentia duo alii Canonici subsequentes.

8. Post Canonicos paratos subsequuntur Vicarius generalis, et Prothonotarii, si adsint. (*Praelati autem si adsint, recipiunt candelam, postquam Episcopus alteram reddiderit digniori parato a quo ipse suam prius receperat: non genuflectunt, sed stantes ipsam capient cum debitis osculis tum illius,*

tum manus Episcopi eam sibi porrigentis (*a*)).

9. Post eos magistratus, et officiales majores civitatis.

10. Deinde alii Presbyteri, Acolythi, et Clerici de gremio Ecclesiae, et Cappellani Episcopi, cottis induti.

11. Demum alii nobiles civitatis, nisi adesset laudabilis consuetudo, ut clerici omnes tam parati, quam cum cottis acciperent candelas ante laicos, quae servanda esset.

12. Familiares Episcopi, et alii de populo, quibus Episcopo placuerit dare.

13. Mulieres a seniore Dignitate, vel Canonico cum cotta et stola parato, seorsum candelas accipiunt.

Notandum quod Canonici parati non genuflectunt ante Episcopum, sed tantum profunde inclinati, ut supra: alii vero ecclesiastici cum cottis, et laici genuflexi capiunt, et manum Episcopi cum candela osculantur.

14. Interim aliquis de Capitulo, ad quem spectat, si Episcopo placuerit, et sit consuetudo Ecclesiae, seorsum distribuit candelas minutiores populo utriusque sexus.

(*a*) *Caerem. Episc. lib. III. cap. V. n.* 2.

*

15. Finita distributione, Episcopus, portante lances nobili, seu scutifero, lavat manus more solito, accedente Presbytero assistente, qui non recedit, et amovetur de ejus gremio mappa praedicta.

16. Interim cantores cantant: *Exurge Domine etc.* cum psalmo.

17. Repetita antiphona, Episcopus surget, deposita mitra, et versus Altare, sustinente libro Presbytero assistente, cantat *Oremus*; et si fuerit post Septuagesimam, et non in die Dominica, Diaconus assistens a dextris dicit alta voce *Flectamus genua*, et omnes genuflectunt; alter a sinistris *Levate*, et omnes surgunt; et Episcopus cantat orationem *Exaudi quaesumus Domine etc.* cum sua conclusione, prout in Missali, accedentibus Acolythis cum candelabris, ut alias.

18. Absoluta oratione, Episcopus sedet, et accipit mitram: et Acolythi cum candelabris ante crucem.

19. Duo Canonici immediate sequentes post Diaconos assistentes, ad aulam paramentorum pro dimittendis planetis plicatis, ut praesto sint ad assistentiam in cappis.

§. IV.

De Processione.

1. Thuriferarius ad Episcopum, qui sedens cum mitra iterum imponit incensum in thuribulum, ministrantibus Presbytero assistente, et Acolytho, ut supra: quo facto Presbyter assistens recedit.

2. Interim accenditur candela Episcopi, quam tenet ejus cubicularius, seu cappellanus, ut supra, et pariter omnium aliorum, maxime de clero, nisi a principio fuissent accensae, et ordinatur per Caeremoniarium processio circumcirca Ecclesiam, vel alias juxta ritum Ecclesiarum.

3. Dicitur a primo Diacono assistente *Procedamus in pace* alta et sonora voce versus populum.

4. Chorus: *In nomine Christi. Amen*; et immediate schola cantat antiphonam: *Adorna thalamum tuum Sion etc.* cum aliis, quamdiu durat processio.

5. Dirigitur processio a parte dextera egredientis per navem lateralem prope turrim campanariam ad portam principem hoc ordine:

I. Schola seu cantores cantantes, ut supra.

II. Familiares Episcopi cum scutiferis hinc inde.

III. Mazzerius.

IV. Thuriferarius.

V. Duo Acolythi cum candelabris et cereis ardentibus, et inter eos medius Subdiaconus, paratus planeta ante pectus plicata super albam sine manipulo, portans crucem.

VI. Post crucem clerici seminarii, et alii de clero cum cottis bini.

VII. Beneficiati.

VIII. Canonici parati pariter bini.

IX. Minister cum pastorali. (*Sulmone Archidiaconus prima dignitas, pluviali indutus, portat pastorale ambabus manibus a terra elevatum ex consuetudine sive privilegio* (*a*)).

X. Episcopus cum mitra, medius inter duos Diaconos assistentes paratos, pluvialis latera elevantes, omnesque suas candelas accensas manibus propriis deferentes. Episcopus suam candelam sinistra gerit, et dextera benedicit.

Notandum quod si erit Archiepiscopus, crux portabitur solummodo ante Canonicos tantum.

XI. Ministri de mitra, libro, et bugia.

XII. Vicarius generalis et prothonotarii.

6. Interea, dum fit processio, Canonicus Missam celebraturus cum Diacono, et Subdiacono,

---

(*a*) *Caerem. Episc. lib. I. cap. XVII. num.* 6.

capiunt sua paramenta convenientia, idest albi coloris; et Diaconus, et Subdiaconus accipiunt dalmaticam, et tunicellam.

7. Pariter mutantur paramenta Altaris, et Sedis episcopalis.

8. Amovetur abacus, et loco ipsius ponitur mensula, ut supra suo loco dictum fuit esse faciendum, non celebrante Episcopo.

9. Pluviale, stola, et cingulum album pro Episcopo ponuntur super Altare.

10. Sed si hujusmodi festum venerit in Dominica Septuagesimae, Sexagesimae, vel Quinquagesimae, non mutantur paramenta Altaris, nec Episcopi, sed remanent eadem violacea; et Diaconus, et Subdiaconus utuntur dalmatica, et tunicella, quia fit Missa de Dominica, secundum regulam in rubricis missalis, sub hoc festo positam, et candelae amplius non accenduntur, neque ad Evangelium, neque ad elevationem SS. Sacramenti.

11. Dum processio revertitur in Ecclesiam Celebrans cum ministris scamnum prope altare.

12. Si hoc festum venerit in Dominica Septuagesimae, Sexagesimae, vel Quinquagesimae, tunc in reditu processionis ante altare, serventur, quae praescripta sunt in hoc manuale infra *tit. III. de Dom. Palmarum cap. III. num.* 1. 2. 3. 4. *et* 5.

CAPUT III.

DE MISSA HUJUS FESTI PER CANONICUM CELEBRANDA CORAM EPISCOPO CUM PLUVIALI ASSISTENTE, ET CANDELAS TANTUM BENEDICENTE.

1. Finita processione, et Canonici chorum ingressi deponunt paramenta, et candelas extinguunt.

2. Episcopus cum pervenerit ad altare, ante infimum gradum, accedentibus duobus Canonicis in habitu chorali, ut supra *cap. II. §. III. num.* 19. ac recedentibus Diaconis assistentibus paratis, si Missa fiet de festo, deponit pluviale, et paramenta violacea, et accipit alba.

3. Deinde accedentibus Diaconis assistentibus in habitu chorali, ac recedentibus duobus Canonicis, qui suppleverant, Episcopus, stans a sinistris ejus Celebrans aliquanto retro ipsum Episcopum, incipit: *In nomine Patris etc.* se signans, et peragit ea quae sunt Celebrantis, ac si esset ipse celebraturus, faciens confessionem usque ad *Indulgentiam etc.* inclusive, cui ipse Celebrans respondet cum ministris sacris interim genuflexis post ipsum Celebrantem.

4. Interim Canonici, dimissis paramentis in propriis locis, confessionem, et alia dicunt de more.

5. Dicto per Episcopum *Indulgentiam etc.* Celebrans paullulum se retrahit, cedens locum Episcopo, qui de medio Altaris, accepta mitra pretiosa, et baculo (*a*), recedet versus sedem cum suis assistentibus, perficiens reliqua usque ad *Aufer a nobis* exclusive (*b*).

6. Si hoc festum venerit in Dominica Septuagesimae, Sexagesimae, vel Quinquagesimae, tunc Episcopus, facta confessione, accipit mitram auriphrygiatam, qua utitur in Missa praefatae Dominicae.

7. Tum Celebrans accedit ad medium plani, et medius inter ministros sacros tunc stantes, prosequitur reliqua de more.

8. Missa autem continuatur prout in *capite IX. Caeremonialis Episcoporum lib. II.* de Missa, quae coram Episcopo celebratur, excepto, quod dum inchoatur Evangelium, Episcopus, et omnes capiunt suas candelas accensas in manibus usque ad

---

(*a*) Notandum semel pro semper quod baculus Episcopo sacra peragenti tradendus est a prima dignitate, et vicissim ab ejusdem manibus accipiendus. *S. R. C.* 13. *sept.* 1670. *decr. authen. tom. II. n.* 2362. *ad* 3.

(*b*) *Caerem. Papae lib.* 2. *cap.* 2.

finem Evangelii, et iterum ad elevationem SS. Sacramenti eas tenent accensas usque post communionem.

9. Si vero fieret Missa de Dominica, ut supra, candelae non accenduntur.

10. Notandum semel pro semper, quod ministri aliquid porrigentes, vel recipientes non osculantur rem, nec manum Celebrantis, quae oscula erga Celebrantem omitti debent, praesente Episcopo (*a*).

CAPUT IV.

DE FESTO PURIFICATIONIS B. M. V. CELEBRANTE EPISCOPO.

§. I.

De praeparandis pro sacris functionibus hujus diei.

1. Sed si Episcopus vellet etiam Missam celebrare, quod convenit praecipue si festum Purificationis sit titulus Ecclesiae, non removetur abacus.

2. In altari majori apponuntur septem candelabra argentea.

3. Parantur omnia, quae dicta sunt supra *in cap. I. §. I.* Paramenta autem missalia pro Celebrante,

---

(*a*) *Caerem. Episc. lib. I. cap. XVIII. n.* 16.

et ministris non parantur, quia Episcopus est solemniter Missam celebraturus.

4. In aula majori paramentorum adduntur: stola violacea, et duae planetae violaceae pro Diacono, et Subdiacono.

5. Pluviale, planetae, dalmaticae, tunicellae coloris albi pro Canonicis.

6. In abaco adduntur: pelvis cum sandaliis albis, et velum humerale violaceum.

7. Alia paramenta pontificalia pro Missa albi coloris, videlicet: gremiale, planeta, chyrothecae, dalmatica, tunicella, stola (*Si fuerit Archiepiscopus pallium archiepiscopale cum velo, et spinulis in capsula*) omnia velo serico violaceo cooperta.

8. Duo manipuli albi coloris pro Diacono, et Subdiacono.

9. Velum humerale album pro Subdiacono.

10. Calix Episcopi cum purificatorio, patena cum duabus hostiis, palla, velo, et bursa cum corporali.

11. Vasa argentea pro praegustatione, et ampullae vini, et aquae.

12. Manipulus albus Episcopi in epistolario inclusus deferendus a Subdiacono.

13. Velum album sericum pro tegendis in fine paramentis missalibus.

§. II.

De accessu Episcopi usque ad distributionem candelarum.

1. Post primam Diaconus, et Subdiaconus in albis ad Altare, et Canonici ad Episcopium.

2. Episcopus solito comitatu ad Ecclesiam.

3. Post consuetam aspersionem, et orationem ad SS. Sacramentum, et Altare majus, ad propriam sedem cum Diaconis assistentibus.

4. Diaconus, et Subdiaconus in albis ad Episcopum, recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos.

5. Immediate Acolythi cum paramentis pontificalibus ad Episcopum.

6. Episcopus accipit paramenta, videlicet: amictum, albam, cingulum violaceum, crucem pectoralem, stolam et pluviale violacei coloris, pectoralem, et mitram simplicem.

7. Interim Canonici in locis suis stantes, accipiunt sacra paramenta coloris violacei eis convenientia.

8. Ministri induuntur pluvialibus, et cruciferarius planeta plicata in aula majori, et statim in choro.

9. Accedentibus denuo Diaconis assistentibus pa-

ratis, Diaconus, et Subdiaconus recedunt, et in propriis locis prope Altare planetas plicatas accipiunt.

10. Episcopus procedit ad benedictionem candelarum, ut supra *in cap. II. hujus tituli* §. *II.* deinde ad distributionem candelarum, *ut ibi* §. *III.* usque ad *num.* 18. inclusive. Deinde fit processio, ut notatur *ibidem* §. *IV.* usque ad *num.* 6. exclusive.

12. Interim dum fit processio mutantur paramenta Altaris, et Sedis episcopalis.

12. Ponuntur super Altare paramenta pontificalia pro Missa pontificali, praeparata in abaco, ut supra in hoc *cap. IV.* §. *I. num.* 7.

§. III.

De Tertia cantanda per Episcopum.

1. In reditu processionis Episcopus, facta Altari reverentia, ad sedem suam cum Diaconis assistentibus.

2. Canonici chorum ingressi retinent paramenta violacea, quae postea mutant, ut suo loco dicetur.

3. Acolythi pro sandaliis apud abacum.

4. Diaconus, et Subdiaconus ad propria scabella, et planetas plicatas deponunt.

5. Episcopus stans sine mitra, dicit *Pater noster etc. Deus in adjutorium etc.*

6. Hymnus, et antiph. per cantores.

7. Intonato psalmo, Presbyter assistens cum ministris de libro, et bugia ad Episcopum.

8. Episcopus sedens cum mitra legit psalmos consuetos *Quam dilecta etc.* et omnes orationes sequentes; accipit sandalia per Subdiaconum in albis.

9. Sine mitra surgit ad orationes, et iterum sedet cum mitra, et lavat manus.

10. Recedentibus Diaconis assistentibus cum Presbytero assistente, accedunt Diaconus et Subdiaconus in albis.

11. Episcopus, deposita mitra simplici, et pluviali cum stola, et cingulo violacei coloris, accipit cingulum, stolam, et pluviale albi coloris, pectorale, et mitram pretiosam.

12. Interim Canonici inter quos Presbyter, et Diaconi assistentes in locis suis, depositis paramentis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa.

13. Induto Episcopo, Diaconus et Subdiaconus ad propria scabella accipiunt paramenta alba, exceptis manipulis.

14. Presbyter cum Diaconis assistentibus in paramentis albis ad Episcopum.

15. A Subdiacono cantatur capitulum tertiae in presbyterio ante cornu Epistolae, Episcopo stante cum mitra.

16. Dum cantantur ℟℟. Acolythi cum candelabris, et cereis accensis ad Episcopum.

27. Episcopus, deposita mitra, stans cantat *Dominus vobiscum*, et orationem, sustinente librum Presbytero assistente.

18. Diaconus et Subdiaconus ad Episcopum, non recedentibus Diaconis assistentibus.

19. Episcopus, adjuvantibus Diacono et Subdiacono paratis, depositis mitra, et pluviali, et stans accipit tunicellam, et dalmaticam, et sedens chirothecas; deinde stans planetam, et rursus sedens mitram pretiosam, et ultimo loco annulum per Presbyterum assistentem.

Si fuerit Archiepiscopus, post planetam accipit pallium.

§. IV.

De Missa pontificali.

1. Episcopus, accepto baculo, accedit ad infimum gradum Altaris pro Missa inchoanda.

2. Missa celebratur cum caeremoniis, et so-

lemnitatibus, prout *in cap. VIII. Caeremon. Episcoporum lib. II.* de Missa solemni Episcopo celebrante.

3. Dum inchoatur Evangelium, Episcopus, et omnes capiunt suas candelas accensas in manibus usque in finem Evangelii.

4. Ad elevationem SS. Sacramenti omnes tenent candelas accensas usque post communionem.

TITULUS II.

FERIA QUARTA CINERUM -- IN CAPITE JEJUNII.

CAPUT I.

DE FERIA QUARTA CINERUM.

Episcopo assistente, et Cineres tantum benedicente.

§. I.

De praeparandis pro sacris functionibus hujus feriae quartae Cinerum.

In Secretario.

1. Paramenta missalia violacei coloris pro Celebrante, et ministris, qui utuntur planetis ante pectus plicatis.

2. Intorticia pro elevatione Missae.

In Aula majori paramentorum.

1. Pluviale violacei coloris pro Presbytero assistente.

2. Planetae, et planetae plicatae violacei coloris pro Canonicis.

3. Pluvialia quatuor pro ministris, vel saltem

unum pro ministro de baculo juxta consuetudinem Ecclesiarum, uti diximus in festo Purificationis.

In Altari majori.

1. Quarta feria ante primam Dominicam Quadragesimae, quae a cinerum aspersione, *Cinerum* appellatur, quia officium, et Missa est de feria, Altare et Tribuna, et omnia simplicius ornantur, quam in festis sollemnioribus.

2. In Altari crux cum sex candelabris ex aurichalco.

3. Alia duo candelabra pro horis canonicis, removenda ante adventum Episcopi.

4. Parvum vas argenteum cum cineribus mundis ex ramis olivarum praecedenti anno benedictis combustis super eodem Altari in medio.

5. Item paramenta pro Episcopo suo ordine coloris violacei, videlicet mitra simplex, pectorale, pluviale, et stola violacei coloris, crux pectoralis, cingulum violaceum, alba et amictus, ita ut dictum vas non cooperiant, nec impediant, et pastorale in cornu Epistolae.

6. Scamnum panno viridi coopertum a latere Epistolae pro Celebrante, et ministris.

In parva Mensula a latere Evangelii.

1. Vasa argentea pro abluendis manibus cum mica panis.

2. Mappa pro abstersione manuum.

3. Alia mappa, seu gremiale lineum, ponenda super genibus Episcopi in distributione cinerum.

4. Vas aquae benedictae cum aspersorio, et thuribulum cum navicula, quae etiam poterunt poni in angulo Altaris (*a*).

In Credentia Altaris majoris.

1. Candelabra cum cereis pro Ceroferareis.

2. Calix de more.

3. Missale cum suo cussino violaceo pro Celebrante.

4. Epistolarium, et Evangeliarium.

5. Stola latior pro Diacono (*b*).

(*a*) *Caerem. Episc. lib. II. cap. XVIII. n. 1.*

(*b*) Juxta Caerem. Episc. tam hodie, quam in Dominicis Adventus et Quadragesimae, et quandocumque Ministri Altaris utuntur planetis plicatis, Diaconus ante Evangelium deponit suam planetam, quae convolvitur, vel alia jam convoluta, et complicata super ejus sinistrum humerum po-

6. Ampullae vini, et aquae cum pelvicula et manutergio.

7. Tabella Indulgentiarum.

In Presbyterio , et Choro.

1. Faldistorium cum veste, et pulvinaribus violaceis.

2. Sedes pontificalis vestibus violacei coloris ornata cum suis pulvinaribus ejusdem coloris violacei.

3. Prope eandem Missale cum suo tegumento violaceo, bugia, et liber canonis.

4. Mitra auriphrygiata, qua utitur hac die in Missa (*a*).

---

nitur, et super ejus brachio, stricte chordulis ad id aptatis colligatur ne decidat, et sic permaneat, quousque Episcopus sumpserit sacram communionem. Tunc reassumit planetam ante pectus plicatam, deposita illa, quae erat super humerum sinistrum. Nos autem in *praeparandis* tam hodie, quam in reliquis diebus ponimus *stolam latiorem*, qua regulariter hodie utitur Diaconus fere in omnibus Cathedralibus pro majori commoditate, salva illarum Ecclesiarum praxi, quae usum planetae convolutae, ac complicatae adhuc retinent.

(*a*) *Caerem. Episc. lib. I. cap. XVII. n.* 3.

5. Presbyterii, et chori pavimentum undique tapetibus stratum.

6. Sedilia Canonicorum suis pannis tecta.

CAPUT II.

DE SACRIS RITIBUS IN HAC FERIA IV. CINERUM ABSOLVENDIS.

§. I.

De accessu Episcopi usque ad paramentorum assumptionem pro benedictione Cinerum.

1. Post Nonam Canonicus celebraturus Missam cum Diacono et Subdiacono capiunt paramenta violacea. Diaconus et Subdiaconus utuntur planetis ante pectus plicatis, et expectantes adventum Episcopi, sedent in scamno pro ipsis parato, ac viridi panno cooperto a latere Epistolae. Episcopo adveniente assurgunt, et faciunt ei reverentiam, Canonicus celebrans, videlicet, caput profunde inclinando, ministri vero genuflectentes, si non sint Canonici.

2. Canonici ad excipiendum Episcopum.

3. Episcopus solito comitatu ad Ecclesiam.

4. Post consuetam aspersionem, orat ante SS. Sacramentum, et Altare majus.

5. Interim Diaconi assistentes in Aula majori paramentorum pro accipiendis planetis plicatis: et pro assistentia subrogantur duo alii Canonici immediate sequentes.

6. Episcopus post orationem ad propriam sedem cum praefatis duobus Canonicis.

7. Diaconi assistentes parati ad Episcopum, recedentibus duobus Canonicis subrogatis.

8. Immediate Acolythi cum paramentis pontificalibus ad Episcopum.

9. Episcopus, deposita cappa, accipit paramenta videlicet: amictum, albam, cingulum violaceum, crucem pectoralem, stolam, et pluviale violacei coloris, pectorale, et mitram simplicem, ac sedet.

10. Acolythi afferunt paramenta pro Canonicis, qui ea suscipiunt, dum induitur Episcopus pluviali.

11. Minister de baculo, et alii, si sit consuetudo, induuntur pluvialibus, in Aula majori, et statim in Choro.

§. II.

De benedictione Cinerum, ac distributione.

1. Subdiaconus, qui est cantaturus Epistolam in Missa, paratus planeta violacea ante pectus plicata, accedit ad Altare cum debitis reverentiis;

et capit vas cum cineribus, ambabus manibus, quod elevatum portat ante Episcopum, ubi genuflexus, illud retinet usque in finem distributionis, ad dexteram Episcopi.

2. Cantores intonant, et prosequuntur antiphonam: *Exaudi nos Domine etc.*

3. Tum Episcopus, accedente cappellano cum libro, et altero cum candela, assistentibus diaconis hinc inde, legit sedens antiphonam: *Exaudi nos Domine etc.*: qua cum psalmo repetita, deposita mitra, surgit, et manibus junctis, dicit *Dominus vobiscum*, et *Oremus*, ac orationes benedictionis cinerum, quae sunt quatuor, prout in Missali, in tono feriali.

4. Quibus finitis, et jam ante eum stantibus, Presbytero assistente parato, et Acolythis cum thuribulo, navicula, et aspersorio cum aqua benedicta, imponit incensum in thuribulum, more solito, aspergit, et thurificat cineres triplici ductu.

5. Tum sedet sine mitra, et sine bireto; et Canonicus celebraturus Missam solus accedit ad eum, facta Altari et Episcopo reverentia, et imponit cineres in caput ipsius sedentis, dicens: *Memento homo, quia pulvis es etc.*

6. Quo facto, Episcopus accipit mitram, et extenditur super ejus gremio mappa munda per duos

Acolythos, et imponit cineres eidem Canonico celebranti ante se inclinato, dicens: *Memento homo etc.* ut supra.

7. Celebrans, acceptis cineribus, sine osculo manus Episcopi, revertitur ad suum locum.

8. Tunc incipiunt venire omnes Canonici parati ad capiendos cineres, eodem modo, incipiendo a dignioribus, cum debitis reverentiis Altari et Episcopo.

9. Et chorus incipit *Immutemur habitu etc.* cum sequentibus.

10. Si aliquis Praelatus alias supra Canonicos stare, vel sedere soleat, ei dabit Episcopus cineres stanti. Si aliquis Princeps, vel Oratores regum, vel principum maximorum, aut rerumpublicarum liberarum laici adessent, capiunt hac die cineres post Canonicos paratos: magistratus vero, et officiales, ac laici post omnes de Clero.

11. Quod sic observatur hac die, et feria sexta in Parasceve in adoratione crucis, ut ibi dicetur, ex antiqua laudabili ecclesiastica disciplina, propter humilitatem, quae in hoc actu repraesentatur iis diebus. Ideoque promptius, libentiusque laicis in his cedere debent omnino Ecclesiastici, prout etiam respective observatur per Imperatores, Reges, et Principes quando sunt praesentes in Cappella SS. D. N. Papae.

12. Praelati, et Canonici parati, capiunt cineres inclinati: reliqui vero tam Clerici, quam laici genuflexi, et omnes sine osculo manus, cum commode osculum exhiberi nequeat in hoc actu.

13. Post Canonicos paratos subsequuntur Vicarius Generalis, et Protonotarii si adsint. (*Praelati si aderint, recipiunt cineres, postquam Episcopus eos imposuerit Canonico in hac die Missam cantaturo* (*a*)).

14. Mansionarii, et reliqui de Clero juxta qualitatem Ordinis, genuflexi. Post Clerum familiares Episcopi, et reliqui de populo omnes pariter genuflexi, uti diximus supra.

15. Idem facit Canonicus senior ex parte mulierum.

16. Duo Canonici immediate sequentes post Diaconos assistentes, acceptis cineribus, ad Aulam paramentorum pro dimittendis planetis plicatis, ut praesto sint ad assistentiam in cappis.

17. Datis cineribus, Episcopus sedens, in eodem loco, lavat manus more solito, accedente Presbytero assistente, et amovetur de ejus gremio mappa praedicta.

(*a*) *Caerem. Episc. lib. III. cap. V. n.* 3.

18. Mox deposita Mitra, surgit, et cantat manibus junctis *Dominus vobiscum*: *Oremus*, et orationem *Concede nobis etc.* ad quam more solito veniunt duo Acolythi cum candelabris, et cereis accensis, et finita Oratione, discedunt. (*Si expellendi essent publice Poenitentes ab Ecclesia*, *Episcopus expleta praedicta Oratione post Cinerum distributionem*, *procedet pro eorumdem expulsione*, *ut in Pontificali Rom. ac omnia ut infra in cap. V. hujus tituli servabit.*

19. Quibus expeditis, si Episcopus non est celebraturus Missam, prout regulariter hac die non solet, duo Canonici in abitu chorali ut supra *n.* 16. ad Episcopum, recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos, qui omnes deponunt sua paramenta; Episcopus autem retinebit sua paramenta, quod magis conveniens est, vel illa deponet, et accipiet Cappam, prout magis libuerit, observans tamen regulam superius traditam.

CAPUT III.

DE MISSA HUJUS FERIAE IV. PER CANONICUM CELEBRANDA CORAM EPISCOPO CUM PLUVIALI ASSISTENTE, AC CINERES TANTUM BENEDICENTE.

1. Episcopus, cantata Oratione post Cinerum distributionem, ut supra n. 18, sedet, et accipit Mitram auriphrygiatam, qua utitur hac die in Missa (*a*).

2. Et descendens de sua Sede, cum pervenerit ad Altare ante infimum gradum, accedentibus Diaconis assistentibus in habitu chorali, ac recedentibus duobus Canonicis, qui suppleverant, facit confessionem cum Celebrante etc.

3. Interim Canonici, dimissis paramentis in propriis locis, Confessionem, et alia dicunt de more.

4. Dicto per Episcopum *Indulgentiam etc.* Celebrans paullulum se retrahit, cedens locum Episcopo, qui de medio Altaris accepta Mitra auriphrygiata (qua hac die utitur in Missa uti diximus), revertitur ad suam sedem, ubi statim cum Ministris, et caeremoniis solitis, imponit incensum in thuribulum.

5. Thurificatur Altare per Celebrantem, et mox

(*a*) *Caerem. Episc. lib. I. cap. XVII. n.* 3.

ipse Celebrans, ac etiam Episcopus, si est pluviali paratus (*a*) thurificatur a Presbytero assistente.

6. Tum Episcopus legit Introitum, et dicit *Kyrie eleison* cum Canonicis in circulo stantibus.

7. Et Celebrans in Missa dicit tres Orationes, prout in Missali, in aequali cantu feriali.

8. Et antequam dicatur *Dominus vobiscum* ante primam Orationem, Episcopus descendet e Solio ad Faldistorium, in quo, simul ac eo pervenerit, deposita Mitra, genuflectet ad *Oremus*, omnibus pariter cum eo genuflectentibus, exceptis Celebrante, Diacono, et Subdiacono, qui in hac Missa non genuflectunt, nisi ad versiculum *Adjuva nos Deus etc.* ut infra dicetur.

9. Dicta ultima Oratione, Episcopus surgens, et accepta Mitra, redit ad Sedem suam.

10. Subdiaconus dum Celebrans cantat ultimam Orationem, deposita planeta, accipit librum Epistolarum, et cantata Epistola, osculataque manu Episcopi, planetam reassumit.

11. Interim Celebrans legit Epistolam cum Graduali, et Tractu.

12. Subdiaconus, osculata manu Episcopi, et reassumpta planeta, transfert librum, ut Celebrans legat Evangelium.

(*a*) *Caerem. Episc. lib. II. cap. IX. n.* 8.

13. Episcopus, accedentibus Ministris, legit Epistolam, Graduale, Tractum, et Evangelium.

14. Interim cantatur Graduale cum Tractu pausatim.

15. Episcopus antequam inchoetur Versiculus *Adjuva nos Deus etc.* iterum descendit ad Faldistorium, et genuflectit, retenta Mitra, sic manens usque ad finem versus, genuflectentibus omnibus, ac etiam Celebrante in cornu Epistolae supra suppedaneum, facie versa ad cornu Evangelii cum Ministris Altaris hinc inde genuflexis in secundo gradu (*a*).

16. Episcopus ad sedem suam cum Diaconis, et Presbytero assistente.

17. Quo versu dicto, et non prius, Diaconus cum solitis Ministris, deposita jam planeta plicata, et eadem, vel alia involuta et complicata super sinistrum humerum, ac super stolam posita, et sub ejus brachio stricte chordulis colligata ne decidat (*b*), defert librum ad Altare: deinde ad

---

(*a*) *Bened. XIII. Mem. Rit. Maj. Hebd. tit. II. cap. II. n.* 17.

(*b*) Loco planetae involutae, et complicatae hodie fere in omnibus Cathedralibus Diaconus utitur stola latiori super stolam, ut supra cap. I. §. I. de Praeparandis.

Episcopum pro osculo manus, et iterum ad Altare pro *Munda cor meum.*

18. Thuriferarius ad Episcopum, et ministratur de more incensum.

19. Diaconus accedit ante ultimum gradum Sedis Episcopi, et ab ipso sedente petit benedictionem pro Evangelio recitando; quo finito Episcopus deosculatur textum Evangelii, sibi a Subdiacono delatum, et adhuc stans sine Mitra a Presbytero assistente thurificatur.

20. Episcopus deinde sedit cum Mitra, et tunc accedit qui Sermonem, vel Concionem habiturus est, et petit benedictionem, et Indulgentias ab Episcopo.

21. Presbyter assistens accedit cum aliis ad locum suum in Choro (*a*), et omnes sedent, et fit Sermo.

22. Finito Sermone, Diaconus qui cantavit Evangelium, stans ante infimum, vel in supremo gradu Altaris, conversus ad Episcopum, capite inclinato, cantat confessionem in tono, qui notatur in Caeremoniali, et dum dicit *Tibi Pater*, et *Te Pater*, si fuerit Canonicus se inclinat pro-

(*a*) *Caerem. Episc. lib. I. cap. VII. n. 7.*

funde, si vero non fuerit Canonicus, genuflectit (*a*).

23. Deinde finita confessione, Sermocinator, qui in pulpito, dum cantatur confessio, manet genuflexus, surgens, publicabit Indulgentiam in forma consueta.

24. Publicata Indulgentia, Episcopus, deposita Mitra, stans leget ex libro, per ministrum de illo servientem supra caput sustentato, si non celebret sollemniter, si vero sollemniter celebret per Presbyterum assistentem, in tono Orationis conversus ad Populum: *Precibus, et meritis etc.*

25. Deinde accepta Mitra, et elevans oculos, et manus, quas ante faciem jungit, sinistra baculum accipit, et benedicit Populo, dicens: *Et benedictio* etc.

(*Si vero benedicens fuerit Archiepiscopus, vel alius, qui utitur Cruce, statim publicata Indulgentia, Cappellanus portabit ante illum Crucem, quam genuflexus tenebit, deinde Archiepiscopus, vel ille qui utitur Cruce, deposita Mitra, Cruci caput inclinabit, et dabit benedictionem, sicut dictum est supra*).

26. Prosequitur Missa de more.

(*a*) *Caerem. Episc. lib. I. cap. XXV. n.* 1. *et* 2.

27. Finita Praefatione, et dicto per Episcopum cum Canonicis ad circulum venientibus *Sanctus Sanctus etc.* iterum Episcopus descendit ad Faldistorium, et ibidem genuflectit, et deponit Mitram, sic manens usque ad *Per omnia saecula etc.* ante *Pax Domini etc.* et tunc mitratus revertitur ad Sedem suam, et iterum deposita Mitra, dicit *Agnus Dei* cum Canonicis, qui similiter veniunt ad circulum.

28. Subdiaconus in hac Missa sustinet patenam, prout in aliis Missis, et Diaconus et Subdiaconus, cantaturi Evangelium et Epistolam respective, deponunt planetam, et osculantur manum Episcopi, prout in Dominicis Adventus (*a*).

29. Datur pax de more per Presbyterum assistentem, et Subdiaconum respective.

30. Ad Postcommunionem, antequam Celebrans dicat *Dominus vobiscum*, Episcopus iterum descendit ad Faldistorium, permanens genuflexus, ut supra, ad omnes Orationes, quae post Communionem dicuntur. Dicta ultima Postcommunione, Diaconus vertit se ad populum, et dicit Versiculum: *Humiliate capita vestra Deo*, Episcopo, et aliis genuflexis manentibus, et capita inclinantibus.

(*a*) *Caerem. Episc. lib. II. cap. XIII.*

31. Finita ultima Oratione Episcopus cum Mitra revertitur ad Sedem suam, et ibidem dat Benedictionem sollemnem more solito.

32. Quae dicta sunt superius circa genuflexiones ad Orationes, et post praefationem, servabuntur in omnibus aliis Missis ferialibus, tempore Quadragesimae, et Vigiliarum, praesente Episcopo.

CAPUT IV.

DE FERIA QUARTA CINERUM CELEBRANTE EPISCOPO.

§. I.

De Praeparandis.

1. Si Episcopus hac die voluerit sollemniter celebrare, parantur omnia, ut supra in *cap. I. hujus tit. II.*

2. In Altari Majori ponuntur septem Candelabra.

3. Paratur etiam Abacus super quo ponuntur ea, quae in dicto *cap. I.* super parva mensula parata erant, et praeter ea adduntur paramenta Pontificalia pro Missa, videlicet: Sandalia violacea cum velo humerali, gremiale, planeta, chirothecae, tunicella, dalmatica, manipulus violacei coloris, et velo serico cooperta, quae omnia

dum fit distributio Cinerum ponuntur super Altare, exceptis Sandaliis. (*Si fuerit Archiepiscopus non paratur Pallium, quia Archiepiscopus hac die non utitur Pallio*). Et removetur Mensula praedicta.

4. Ponuntur etiam super eodem Abaco alia, quae necessaria sunt pro Missa Pontificali, ac ea etiam, quae parata erant in Credentia Altaris Majoris, videlicet: Candelabra cum Cereis pro Ceroferariis.

5. Missale cum suo cussino violaceo.

6. Duo manipuli violacei coloris pro Diacono et Subdiacono.

7. Epistolarium, et Evangeliarium, et Stola latior pro Diacono.

8. Velum humerale violaceum pro Subdiacono.

9. Calix Episcopi cum purificatorio, patena cum duabus Hostiis, palla, velo, et bursa cum corporali.

10. Vasa argentea pro praegustatione, et ampullae vini et aquae cum pelvicula.

11. Manipulus violaceus Episcopi in Epistolario inclusus deferendus a Subdiacono.

12. Velum sericum violaceum pro tegendis in fine paramentis Missalibus.

13. Tabella Indulgentiarum.

Paramenta autem Missalia pro Celebrante, et Ministris in Secretario non parantur, quia Episcopus est sollemniter celebraturus.

§. II.

De accessu Episcopi usque ad Distributionem Cinerum inclusive.

1. Post Sextam Diaconus et Subdiaconus in albis ad Altare, et Canonici ad Episcopium.

2. Episcopus solito comitatu ad Ecclesiam.

3. Post consuetam aspersionem, et orationem ad SS. Sacramentum, et Altare majus, ad propriam Sedem cum Diaconis assistentibus.

4. Diaconus et Subdiaconus in albis ad Episcopum, recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos.

5. Immediate Acolythi cum paramentis Pontificalibus ad Episcopum.

6. Episcopus accipit paramenta, videlicet amictum, albam, cingulum violaceum, crucem pectoralem, stolam, et pluviale violacei coloris, pectorale, et mitram simplicem.

7. Interim Canonici in locis suis accipiunt sacra paramenta coloris violacei eis convenientia.

8. Accedentibus denuo Diaconis assistentibus

paratis, Diaconus et Subdiaconus recedunt, et in propriis locis planetas plicatas accipiunt.

9. Episcopus procedit ad Benedictionem, et Distributionem Cinerum ut supra in *cap. II. hujus tituli §. II.* usque ad num. 18. inclusive.

(*Si expellendi essent publice Poenitentes ab Ecclesia, Episcopus, expleta praedicta Oratione post Cinerum distributionem, procedet pro eorumdem expulsione, ut in Pontificali Romano, ac omnia ut infra in cap. V. hujus tituli praescripta servabit*).

§. III.

De Nona cantanda per Episcopum, et de Missa Pontificali.

1. Si vero Episcopus vellet hac die sollemniter celebrare, finita Oratione post Cinerum aspersionem, sedet aliquantulum, et mox surgens sine Mitra, incipiet *Deus in adjutorium*, pro Nona.

2. Diaconus et Subdiaconus deponunt planetas plicatas ad propria scabella.

3. Hymnus, et Antiphona cantatur a Cantoribus.

4. Cum inchoatur Psalmus *Mirabilia testimonia tua etc.* sedet cum Mitra, et legit Psalmum *Quam dilecta etc.* et interim imponentur ei sandalia per

Subdiaconum in albis, Canonicis et aliis omnibus remanentibus paratis.

5. Dum autem dicit Orationes, deponit Mitram, et surgit, et iterum sedet cum Mitra donec absolvantur Psalmi Nonae. Quibus finitis, et cantata Antiphona, Subdiaconus in albis cantat Capitulum, stante Episcopo cum Mitra.

6. Deinde Episcopus, completis ℟. brev. et ℣., deponit Mitram, et genuflectit super pulvino in plano solii, et dicit preces, deinde surgit, et stantibus hinc inde ante Sedem Ceroferariis, Presbytero assistente sustinente librum, cantat *Dominus vobiscum*, et Orationem.

7. Finita Nona, ut alias, Episcopus lavabit manus cum caeremoniis consuetis, prout finita Tertia in aliis Missis, per ipsum celebrandis; et dum lavat manus, accedet Presbyter assistens cum pluviali, et adjuvabit, incipiendo servire Episcopo in officio assistentiae.

8. Lotis manibus, Diaconus Evangelii, et Subdiaconus parati usque ad planetam exclusive absque manipulis induunt Episcopum paramentis Missalibus cum Mitra auriphrygiata, qua utitur hac die in Missa, adjuvantibus Diaconis assistentibus cum planetis plicatis ante pectus.

9. Parato Episcopo, Diaconus et Subdiaconus

capient planetas plicatas, et manipulos pro Missa, et fiet Processio ad Altare, et inchoatur Missa, in qua omnia servantur, quae in *cap. VIII. libri II. Caerem. Episcopor.* de Missa sollemni, Episcopo celebrante, explicata sunt, exceptis his quae hac die particulariter facienda sunt, ut supra narratum est.

10. Ante primam Orationem Episcopus non dicet *Pax vobis*, sed *Dominus vobiscum*, et cum dicitur Versiculus *Adjuva nos etc.* Episcopus genuflectet non in Faldistorio, sed apud Sedem suam.

11. In reliquis omnia fient, ut supra explicatum est, et prout dicitur in dicto *Cap. VIII.* de Missa sollemni, Episcopo celebrante.

CAPUT V.

DE EXPULSIONE PUBLICE POENITENTIUM AB ECCLESIA IN FERIA QUARTA CINERUM.

* MONITUM.

* Perspectum omnibus sit, ritus in tribus hisce sequentibus hujus capitis articulis dispositos, *de expulsione*, nempe, *Poenitentium ab Ecclesia*, nunc penitus obsolevisse. Priscis Ecclesiae temporibus illi quidem vigebant. Postmodum vero

rigores suos pia Mater nostra delinivit. Quadere et in Regno Neapolitano, et in omnibus Ecclesiasticis Dominationibus ab hic descripta poenitentiali disciplina omnino abstinendum est.

Nullius item usus, et roboris impraesentiarum esse nunciamus quod Feria V. in Coena Domini de Poenitentium publica reconciliatione pluribus verbis et articulis prosecuti sumus.

§. I.

De Praeparandis.

1. Parantur omnia, quae supra in *cap. I. hujus tituli II.* dicta sunt pro benedictione, et distributione Cinerum, sive Assistente, sive Celebrante Episcopo, et adduntur sequentia, ut infra.

In Presbyterio, et Choro.

1. Crux Capituli pro Processione.
2. Candelae cerae albae num. duae.
3. Vas aquae benedictae cum aspersorio.

In Abaco Altaris Majoris.

1. Pelvis cum Ciliciis benedicendis.
2. Pontificale, et Breviaria pro Psalmis Poenitentialibus, et Litaniis.
3. Candelae juxta numerum poenitentium.

In medio Ecclesiae.

1. Suppedaneum coopertum tapete, et super eo.
2. Faldistorium cum veste, et pulvinaribus violaceis.
3. Sedilia pannis viridibus cooperta pro Canonicis hinc inde, versus valvas Ecclesiae.
4. Sedilia pro Mansionariis, et Clericis retro sedilia Canonicalia.
5. Pes ligneus pro Cruce.
6. Legile cum tertia Parte Libri Pontificalis pro Schola.

Prope Januam Ecclesiae.

1. Tapete stratum.

§. II.

De praemittendis ante publice Poenitentium expulsionem.

1. In Capite Quadragesimae sollemniter Poenitentes de Ecclesia ejiciuntur hoc modo.

2. Poenitentes, quibus secundum jus et consuetudinem, pro gravioribus criminibus sollemnis poenitentia est imponenda, hac die Hora quasi Tertia conveniunt ad Ecclesiam Cathedralem in

vilibus vestimentis , nudis pedibus , et vultibus ad terram dimissis , quorum nomina scribi debent ; accipientes poenitentiam juxta modum culpae ab Episcopi Poenitentiario , vel ab aliis , quibus hoc officium commissum est ; et postea omnes emittuntur , et manent ante fores Ecclesiae.

3. Pontifex interim , dicta Sexta , si non sit celebraturus, paratur supra rochettum , vel (si sit Regularis) supra superpelliceum , amictu , alba, cingulo , stola , pluviali violaceis , mitra simplici, et baculo Pastorali.

4. Si autem Pontifex est celebraturus , dum dicitur Nona , more solito accipit Sandalia , et caetera paramenta Pontificalia usque ad Dalmaticam inclusive , et desuper pluviale violacei coloris , et mitram simplicem , et benedicit Cineres , atque imponit , ut in hoc *titulo II. cap. II. et* §. *II.* dictum est.

5. Quibus peractis , Pontifex cum Ministris , Schola , et toto Clero , Cruce , aqua benedicta , et duobus cereis praecedentibus , egreditur Chorum circa medium Ecclesiae , ubi parata sit Sedes , hoc ordine.

I. Caeremoniarius.

II. Familiares Episcopi cum Scutiferis hinc inde.

III. Mazzerius.

IV. Acolythus cum vase aquae benedictae et aspersorio.

V. Cruciferarius cum Cruce inter Ceroferarios.

VI. Clerici.

VII. Mansionarii.

VIII. Canonici parati.

IX. Subdiaconus manibus gerens vas cum cineribus.

X. Presbyter assistens cum Diacono a sinistris.

XI. Episcopus cum mitra et baculo inter Diaconos assistentes.

Si vero fuerit Archiepiscopus Crux defertur immediate ante Canonicos paratos inter Acolythos cum cereis accensis; Crux vero Capituli defertur a Ministro superpelliceo tantum induto sine ceroferariis.

XII. Ministri servientes de Mitra, Libro, et Bugia.

XIII. Vicarius Generalis, et Protonotarii.

6. Interim, non celebrante Episcopo, Celebrans cum Ministris remanent sedentes in eorum scamno apud Altare in cornu Epistolae.

§. III.

De sacris Ritibus in hac Expulsione peragendis.

1. Cum pervenerint ad medium Ecclesiae, Episcopus sedet in parata sibi Sede.

2. Tunc Clerus dividitur per duos choros hinc inde versus valvas Ecclesiae.

3. Poenitentes vero omnes ingressi prosternunt se cum lacrymis in Ecclesiae pavimento coram Pontifice inter utrumque Chorum.

4. Tunc Pontifex sedens cum Mitra, vel Archipresbyter stans imponit Cineres super capita singulorum dicens; *Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris: age poenitentiam, ut habeas vitam aeternam.*

5. Et unus ex Canonicis aspergit eos aqua benedicta.

6. Interim Ministri de Libro, et Bugia, et Acolythus deferens pelvim cum Ciliciis ad Episcopum.

7. Postea Pontifex stans, deposita mitra, benedicit Cilicia, in hunc modum: *Adjutorium nostrum etc.* ut in Pontificali.

8. Deinde ministrante aspersorio Presbytero assistente aspergit Cilicia.

9. Benedictis Ciliciis, Pontifex capita eorum cooperit cum eis, dicens *Apud Dominum etc.*

10. Quo facto Pontifex incipit Antiphonam *Ne reminiscaris*, et super Faldistorium accumbit, et Ministri, et totus populus, et poenitentes prosternunt se in terram, et pro ipsorum poenitentium absolutione dicunt septem Psalmos Poenitentiales alternatim, deinde dicitur Antiphona *Ne reminiscaris.*

11. Postea dicuntur Litaniae Sanctorum, quibus finitis, Pontifex dicit super ipsos poenitentes *Pater noster*, et reliqua, ut in Pontificali.

12. His peractis, surgunt Poenitentes, et Pontifex sedens, accepta mitra facit eis Sermonem, ostendens qualiter Adam propter peccatum ejectus est de Paradiso, et multa maledicta in eum congesta sunt; et qualiter ejus exemplò ipsi de Ecclesia ad tempus ejiciendi sunt.

13. Interim Acolythi accendunt Candelas et distribuunt poenitentibus.

14. Quo facto, Pontifex surgit cum mitra, et accipit unum ex eis per dexteram manum; et omnes alii similiter se manibus tenentes, candelas accensas in manibus habentes subsequantur eum; et ita eos ejiciat de Ecclesia, cum lacrymis dicens: *Ecce ejicimini vos hodie etc.*, ut in Pontificali.

15. Et interim Schola cantat Responsorium : *In sudore vultus tui etc.*; deinde aliud Responsorium : *Ecce Adam etc.*

16. Et sic extra ejectis, et ante valvas Ecclesiae genibus flexis gemendo manentibus, Pontifex in limine Ostii stans moneat eos, quod de Domini misericordia non desperent, sed jejuniis, orationibus, peregrinationibus, eleemosynis, et aliis bonis operibus invigilent; ut Dominus ad dignum fructum verae poenitentiae eos perducat; quodque Feria Quinta in Coena Domini redeant, quoniam tunc in Sanctam Ecclesiam reducentur, quam usque tunc ingredi non praesumant.

17. Et mox Pontifice cum processione ad Chorum redeunte, valvae Ecclesiae ante oculos eorum clauduntur; et incipitur Missa, et proceditur ordine suo sive Assistente, sive Celebrante Episcopo, ut supra in hoc *titulo II. cap. III.*, *et cap. IV.*

TITULUS III.

DOMINICA IN PALMIS.

CAPUT I.

DE DOMINICA PALMARUM EPISCOPO ASSISTENTE, ET PALMAS TANTUM BENEDICENTE.

§. I.

De praeparandis pro Sacris Functionibus hujus Dominicae.

In Secretario.

1. Paramenta Missalia coloris violacei pro Celebrante, et Ministris.

2. Stola latior pro Diacono.

3. Tres Stolae, et Manipuli tres violacei coloris cum totidem Missalibus pro Cantoribus Passionis.

4. Intorticia pro elevatione in Missa.

In Aula Majori Paramentorum.

1. Pluviale violacei coloris pro Presbytero Assistente.

(*In Cathedralibus ubì sunt plures Dignitates tot pluvialia, quot sunt Dignitates, ut notatum fuit supra tit. I. in Festo Purific. cap. I. post num. 4.*

2. Planetae, et Planetae plicatae pro Canonicis.

3. Pluvialia quatuor pro Ministris, vel saltem unum pro Ministro de baculo, ut notatum fuit *sup. loc. cit. num.* 3.

4. Planeta plicata pro Crucifero.

In Altari Majori.

1. Altare aliis Dominicis Quadragesimae sollemnius ornatum, et ante Altare pallium violaceum.

2. Crux in eo velo violaceo tecta cum sex candelabris argenteis; et inter haec Palmarum rami in suis vasis repositi.

3. Alia candelabra pro Horis Canonicis removenda ante adventum Episcopi.

4. Paramenta Episcopi super eo, videlicet: Mitra simplex, Pectorale, Pluviale, et Stola violacei coloris, Crux pectoralis, cingulum violaceum, alba, et amictus: omnia velo serico violaceo cooperta; et pastorale in cornu Epistolae.

5. Scamnum panno viridi coopertum a latere Epistolae pro Celebrante, et Ministris.

6. Crux Capituli in latere Epistolae pro Processione, et vitta violacea pro ligandis ramusculis Olivarum in summitate Crucis Capituli.

(*Si fuerit Archiepiscopus, alia vitta violacea pro ligandis ramusculis olivarum in summitate Crucis Archiepiscopalis*).

In Abaco, seu Credentia Altaris Majoris.

1. Duo candelabra cum luminaribus pro Ceroferariis.

2. Thuribulum cum navicula, et vas aquae benedictae cum aspersorio.

3. Vasa argentea ad abluendas manus cum medulla panis, et mantile ad abstergendum.

4. Mappa linea pulchre elaborata apponenda super gremio Episcopi, cum incipit palmas distribuere.

5. Tabella Indulgentiarum.

6. Prope ipsam Mensam Vas cum carbonibus accensis, ac forcipibus pro usu thuribuli.

7. Mitra auriphrygiata pro assistentia Missae.

8. Calix de more.

9. Ampullae vini et aquae cum pelvicula et manutergio.

10. Missale pro Celebrante.

11. Epistolarium, et Evangeliarium.

In nostra Sacrosancta Cathedrali Basilica Sulmonen. additur Bugia pro Canonico celebrante.

In Presbyterio, et Choro.

1. Faldistorium cum veste, et pulvinaribus violaceis.

2. Praeparantur in Mensa inter Altare et Sedem Episcopi, ut de Candelis dictum fuit, Palmae, seu rami Olivarum benedicendi, inter quos, si Palmae haberi non possent, ornentur, et aptentur aliquot ex dictis ramis Olivarum flosculis et parvis crucibus de Palmarum foliis compositis, ut speciosiores caeteris appareant pro Episcopo, Canonicis, et Magistratibus: et saltem Palmae perquirantur pro Episcopo, Praelatis, et majoribus Magistratibus, aut aliquibus magnis viris, si aderunt. Nec refert, an dicta Palma pro commoditate Episcopi sit brevior, vel longior caeteris, dummodo sit pulchrior ornatu.

3. Prope eamdem Missale cum suo tegumento violaceo, bugia et Liber Canonis.

4. Pulvinar pro genuflectendo in Epistola ad ea verba: *In nomine Jesu etc.* et ad Passionem ad ea verba: *Emisit spiritum.*

5. In Sede Pontificali ligneum instrumentum pro elevando pulvinari.

6. Presbyterii et Chori pavimentum undique tapetibus stratum.

7. Sedilia Canonicorum suis pannis tecta.

8. Ritualia pro Cantoribus in Processione.

9. Custodes, etiam si opus erit, adhibeantur, qui populi pressuram cohibeant.

CAPUT II.

DE SACRIS RITIBUS IN DOMINICA PALMARUM OBSERVANDIS.

§. I.

De accessu Episcopi usque ad paramentorum sumptionem pro Benedictione Palmarum.

1. Post Tertiam Diaconus et Subdiaconus, qui in Missa ministraturi sunt, ad Altare, et Canonici ad Episcopium.

2. Episcopus solito comitatu ad Ecclesiam.

3. Post consuetam aspersionem, orat ante SS. Sacramentum et Altare majus.

4. Interim Diaconi assistentes in Aula paramentorum pro accipiendis planetis plicatis: et pro assistentia subrogantur duo alii Canonici immediate sequentes.

5. Episcopus post Orationem ad propriam Sedem cum praefatis duobus Canonicis.

6. Diaconi assistentes parati ad Episcopum, recedentibus duobus Canonicis subrogatis.

7. Immediate Acolythi cum paramentis Pontificalibus ad Episcopum.

8. Episcopus, deposita Cappa, accipit paramenta, videlicet: amictum, albam, cingulum violaceum, Crucem pectoralem, Stolam, et pluviale violacei coloris, ac Mitram simplicem.

9. Acolythi afferunt paramenta pro Canonicis, qui ea suscipiunt, dum induitur Episcopus pluviali.

10. Ministri induuntur pluvialibus, et Cruciferarius planeta plicata in Aula Majori: et statim in Choro.

§. II.

De Benedictione Palmarum.

1. Cantores intonant, et prosequuntur Antiph. *Hosanna etc.*

2. Episcopus sedens eandem legit, accedentibus Ministris de Libro, et bugia.

3. Episcopus surgens sine mitra, manibus junctis, dicit *Dominus vobiscum*, Cappellano librum sustinente, et Orationem: *Deus quem diligere etc.* in tono feriali; et tandem sedet cum Mitra.

4. Subdiaconus, deposita in proprio loco planeta plicata, ibidemque accepto Epistolario, can-

tat in consueto loco Lectionem in tono Epistolae, omnibus sedentibus.

5. Completa lectione, Cantores cantant ℟. *Collegerunt etc.*

6. Interim Subdiaconus ad Episcopum pro osculo manus, et in proprio loco reassumit planetam plicatam.

7. Episcopus legit lectionem, et ea quae sequuntur usque ad Evangelium inclusive.

8. Interim Diaconus, dimissa in proprio loco planeta plicata, accipit Stolam latiorem, et Evangeliarium, defert illud super Altare: deinde ad Episcopum pro osculo manus, et demum ad Altare in inferiori gradu genuflexus dicit: *Munda cor meum etc.*

9. Presbyter assistens cum Thuriferario ad Episcopum pro benedictione thuris, et remanente Presbytero assistente, Thuriferarius discedit.

10. Proceditur ad Benedictionem, et Evangelium de more, et tunc Episcopus deposita Mitra surgit, et stat cum baculo Pastorali ad Evangelium.

11. Episcopus osculatur Librum, et a Presbytero assistente incensatur, qui deinde recedit.

12. Diaconus interim in suo loco resumit planetam plicatam, dimissa stola latiori cum manipulo, una cum Subdiacono.

13. Episcopus dicit in tono feriali *Dominus vobiscum* cum Oratione : *Auge fidem etc.* deinde Praefationem etiam manibus junctis.

14. In fine Praefationis Chorus cantat : *Sanctus etc.* et Episcopus illud dicit cum Assistentibus.

15. Postea subjungit *Dominus vobiscum*, et quinque sequentes Orationes.

16. Incepta quinta Oratione, scilicet *Benedic quaesumus etc.* Presbyter assistens cum Thuriferario, et Acolytho cum vase aquae benedictae, et aspersorio ad Episcopum.

17. Episcopus stans imponit incensum de more, cum solita benedictione, aspergit Palmas; et thurificat, ministrante Presbytero assistente parato.

18. Recedente Presbytero assistente cum Acolythis supradictis, Episcopus adhuc stans eodem vocis tono dicit *Dominus vobiscum*, et septimam Orationem, videlicet *Deus, qui Filium tuum etc.* qua completa, sedet, et accipit Mitram.

§. III.

De Palmarum Distributione.

1. Dignior ex Capitulo paratus praebet Episcopo Palmam pulchriorem acceptam de manibus Sacristae, vel alterius ad id deputati, osculando

Palmam, et manum, quam Episcopus tradit tenendam alicui suo Cappellano, nec osculatur eam; et statim Dignior paullulum recedit. (*Si quis Episcopus adsit* , *hic porrigit Palmam Episcopo sine osculis*; *qui et primus omnium in distributione recipit similiter sine osculis* (*a*).)

2. Ponitur deinde mappa , per Acolythos ex abaco allata , super gremio Episcopi , quam ipsi hinc inde genuflexi tenent usque ad finem distributionis Palmarum ; et elevantur hinc inde fimbriae pluvialis ipsius per Diaconos assistentes.

3. Statim per Cappellanos sive Acolythos capiuntur de Mensa , sive de manu Camerarii , aut Sacristae , aut alterius ad eam curam deputati , Palmae speciosiores pro Canonicis, et porriguntur ad manus Diaconi assistentis , ad sinistram Episcopi , qui illas ministrat Episcopo.

4. Eodem tempore Dignior ille , pluviali indutus , facit reverentiam primo Altari , deinde Episcopo , ascendit ad eum , et accipit ab eo Palmam osculando illam , et manum Episcopi.

5. Et Chorus tunc incipiet Antiphonam: *Pueri Hebraeorum etc.*

6. Similiter alii Canonici parati ordine suo accipiunt Palmas.

(*a*) *Caerem. Rom. L. 2. cap. 29.*

7. Recedentibus Diaconis, ut supra, subrogantur duo alii Canonici subsequentes.

8. Post Canonicos paratos subsequuntur Vicarius Generalis, et Protonotarii, si adsint. (*Praelati si adsint, recipiunt Palmas, postquam Episcopus alteram reddiderit Digniori parato a quo ipse suam prius receperat: non genuflectunt, sed stantes ipsam capient cum debitis osculis tum illius, tum manus Episcopi eam sibi porrigentis* (*a*)).

9. Post eos Magistratus, et Officiales Majores Civitatis.

10. Deinde alii Presbyteri, Acolythi, et Clerici de gremio Ecclesiae, et Cappellani Episcopi, cottis induti.

11. Demum alii Nobiles, nisi adesset laudabilis consuetudo, ut Clerici omnes tam parati, quam cum cottis acciperent Palmas ante Laicos, quae servanda esset.

12. Familiares Episcopi, et alii de Populo, quibus, et quot Episcopo placuerit dare.

13. Mulieres a Seniore Dignitate, vel Canonico cum cotta et stola parato, seorsum Palmas accipiunt.

Notandum quod Canonici parati non genufle-

(*a*) *Caerem Episc. Lib. III. Cap. V. n.* 2.

ctunt ante Episcopum, sed tantum profunde inclinati cum osculo Palmae et manus Episcopi, ut supra, palmas recipiunt: alii vero Ecclesiastici, et Laici genuflexi capiunt, et manum Episcopi cum Palma pariter osculantur.

14. Interim aliquis de Capitulo, ad quem spectat, si Episcopo placuerit, et sit consuetudo Ecclesiae, seorsum distribuit Palmas populo utriusque sexus.

15. Palma Cruci Processionali violacea vitta ligetur: et Clerici hinc inde in Presbyterio.

16. Finita distributione, Episcopus, portante lances Nobili, seu Scutifero, lavat manus more consueto, et fricat cum mica panis, accedente Presbytero assistente, qui non recedit, et amovetur de ejus gremio mappa praedicta.

17. Accedunt ad Episcopum duo Acolythi ceroferarii cum candelabris, et cereis accensis; ipse vero deposita Mitra, surgit, et cantat ex Libro *Dominus vobiscum*, deinde Orationem ultimam, videlicet: *Omnipotens sempiterne Deus etc.*

18. Finita Oratione, Episcopus sedet, et accipit Mitram, et Acolythi cum candelabris ante Crucem.

19. Duo Canonici immediate sequentes post Diaconos assistentes ad Aulam paramentorum pro

dimittendis planetis plicatis, ut praesto sint ad assistentiam in Cappis.

§. IV.

De Processione.

1. Thuriferarius ad Episcopum, qui sedens cum Mitra ponit thus in thuribulum, ministrantibus Presbytero assistente, et Acolytho: quo facto Presbyter assistens recedit.

2. Dicto per primum Diaconum assistentem *Procedamus in pace.* Chorus respondet: *In nomine Christi Amen*; et immediate Schola cantat Antiphonam: *Cum appropinquaret*, cum aliis sequentibus, quamdiu durat Processio.

3. Ordinatur per Caeremoniarium Processio a parte dextera egredientis per navem lateralem ad portam principem hoc ordine, et omnes gerunt suas palmas in manibus.

I. Schola seu Cantores cantantes ut supra.

II. Familiares Episcopi cum Scutiferis hinc inde.

III. Mazzerius.

IV. Thuriferarius.

V. Duo Acolythi cum candelabris et cereis ardentibus, et inter eos medius Subdiaconus paratus planeta ante pectus plicata super albam sine manipulo, portans Crucem.

VI. Post Crucem Clerici Seminarii, et alii de Clero cum cottis bini.

VII. Beneficiati.

VIII. Canonici parati pariter bini.

IX. Minister cum pluviali ferens baculum Pastoralem immediate ante Episcopum.

X. Episcopus cum Mitra, medius inter duos Diaconos assistentes paratos, Pluviali latera elevantes, omnesque suas Palmas manibus propriis deferentes. Episcopus autem illam sinistra deferet, et dextera benedicat.

Si vero fuerit Archiepiscopus Crux defertur immediate ante Canonicos paratos inter Acolythos cum Candelabris accensis, et ante ipsam Crucem Thuriferarius procedit cum thuribulo fumigante; Crux vero Capituli defertur a Ministro superpelliceo tantum induto sine Ceroferariis.

XI. Ministri servientes de Mitra, Libro, et bugia.

XII. Vicarius Generalis, et Protonotarii.

4. Exire debet Processio extra Portam Ecclesiae; et antequam Crux Processionis ingrediatur dictam Portam, praeveniunt aliqui Cantores, illam ingredientes, et mox claudentes.

5. Clausa principali Porta, omnes ante illam se disponunt per duplicatum gyrum hac methodo:

I. Juniores sint ad sinistram Portae, seniores ad dexteram.

II. Exterior gyrus sit Clericorum, Mansionariorum, et Scholae, interior Canonicorum.

III. Subdiaconus cum Cruce ante Portam, Ceroferariis ac thuriferario rectam facientibus lineam, et Portam ipsam respicientibus.

IV. Episcopus in medio circuli.

V. Cantores inter Ecclesiam cantant Versiculum *Gloria laus etc.* versa facie ad Processionem; repetente Schola extra Ecclesiam.

VI. Deinde qui sunt intus cantant alios versus sequentes, ut in Missali; et qui sunt extra ad quoslibet duos versus respondent *Gloria, laus* sicut a principio.

6. Subdiaconus cum hastili Crucis percutit Portam in parte inferiori.

7. Porta aperitur, et Processio ingreditur, Choro cantante Antiphona: *Ingrediente Domino etc.*

8. Omnes ordine, quo supra, ingrediuntur Ecclesiam cum reverentiis Episcopo, et Cruci.

9. Dum Processio revertitur in Ecclesiam Celebrans cum Ministris ad scamnum prope Altare.

CAPUT III.

DE MISSA HUJUS DOMINICAE PER CANONICUM CELEBRANDA CORAM EPISCOPO CUM PLUVIALI ASSISTENTE, AC PALMAS TANTUM BENEDICENTE.

1. Finita Processione, Canonici ingressi Chorum, deponunt paramenta, et palmas, quas resumunt, dum cantatur Passio, et Evangelium.

2. Episcopus cum pervenerit ad Altare ante infimum gradum, accedentibus Celebrante cum Ministris, et duobus Canonicis in habitu chorali, ut supra *cap. II. §. III. num.* 19. recedentibus Diaconis assistentibus paratis, deposita Mitra facit Confessionem etc.

3. Interim Canonici, dimissis paramentis in propriis locis, Confessionem, et alia dicunt de more.

4. Dicto per Episcopum *Indulgentiam etc.* Celebrans paullulum se retrahit, cedens locum Episcopo, qui de medio Altaris, accepta Mitra auriphrygiata (qua hac die utitur in Missa) accedit ad Sedem.

5. Presbyter assistens cum Diaconis assistentibus in habitu Chorali ad Episcopum, recedentibus duobus Canonicis, qui suppleverant.

6. Episcopus imponit incensum de more, et

post incensationem Altaris, et Celebrantis, incensatur et ipse.

7. Introitus a Celebrante, et Episcopo. Interim Canonici exeunt pro Circulo.

8. Dictis *Kyrie*, Canonici redeunt ad propria loca, et Subdiaconus, dum Celebrans cantat Orationem, deposita planeta, accipit Librum Epistolarum, et procedit ad cantandam Epistolam, quam interim Celebrans legit cum Graduali, et Tractu.

9. Cum Subdiaconus in Epistola pronunciabit verba illa: *Ut in nomine Jesu omne genuflectatur*, Episcopus, et omnes usque ad terram genuflectunt, et permanent genuflexi usque ad illa verba: *Et inferorum* inclusive.

10. Finita Epistola, Subdiaconus ad Episcopum pro osculo manus, et inde resumit planetam plicatam.

11. Cantatur Graduale cum Tractu, et interim Episcopus, accedentibus Ministris, legit Epistolam cum Graduali, et Tractu.

12. Tres, qui Passionem sunt cantaturi (in nostra Cathedrali Basilica tres Canonici) (*a*) dum

---

(*a*) » Consuetudo quod Passio in Dominica Pal-
» marum, et Feria VI. in Parasceve decantetur

cantatur Epistola, et Tractus, parantur amictu, alba, cingulo, manipulo, Stola ab humero sinistro pendente coloris violacei, in Sacristia, et circa finem Tractus procedunt a Sacristia hoc ordine.

I. Antecedit Caeremoniarius.

II. Qui Evangelistae personam gerit, portans sibi Librum.

III. Qui turbarum, ut supra.

IV. Qui Christi, ut supra.

V. Sequentibus tribus Cappellanis cum cottis, sine candelabris, et sine incenso, palmas Cantorum deferentibus.

13. In ingressu Presbyterii factis Altari et Episcopo debitis reverentiis, accedunt ipsi tres ad osculum manus Episcopi eodem ordine; nullam tamen petunt benedictionem; deinde descendunt ad locum, ubi cantant Passionem versus cornu Evangelii, seu in Pulpito, secundum consuetudinem Ecclesiarum. Et Cappellani antedicti stant contra illos.

» a Canonicis servanda est, non obstante Caere-
» moniale, in quo disponitur eamdem a Cantori-
» bus esse decantandam, ut declaravit S. R. C.
» *Dec. Aut. Tom. I. n.* 311.

14. Cum Passio inchoatur, Celebrans cum suis assistentibus legit Passionem, tenens Palmam in manibus, et stans in cornu Epistolae.

15. Et Episcopus, et omnes surgunt, detecto capite, Palmas in manibus tenentes usque ad finem Passionis, in qua dum recitatur: *Jesus autem clamans voce magna, emisit spiritum*: Episcopus in sua Sede, et omnes in locis suis genuflectunt, etiam ipsi Cantores, et Cappellani; deinde surgunt; et is, qui Evangelistam agit, perficit suam lectionem, iisdem comministris astantibus, ut prius.

16. Finita Passione, Episcopus sedet, et accipit Mitram, et accedentibus Ministris legit Evangelium: *Altera autem die etc.*

17. Celebrans transit ad Cornu Evangelii pro legendo supradicto Evangelio: *Altera autem die etc.* Et Cantores redeunt ordine quo supra, in Secretario.

18. Tunc Diaconus Evangelii, deposita Planeta, eaque, sive alia duplicata (*sive stola latiori juxta communem Ecclesiarum morem*) super humerum sinistrum posita, et sub brachio dextero colligata, portat Librum ad Altare, mox vadit ad osculum manus Episcopi, ducente Caeremoniario, et revertitur ad Altare, dicens genuflexus: *Munda cor meum etc.*

19. Interim Episcopus, ministrante Acolytho, vel Caeremoniario, ac Presbytero assistente, imponit incensum more consueto.

20. Diaconus cum Libro ante pectus, praecedentibus Thuriferario, et duobus Acolythis sine candelabris, subsequente Subdiacono, petit benedictionem, incensat Librum, et cantat Evangelium: *Altera autem die etc.*

21. Dum cantatur Evangelium praedictum, omnes tenent Palmas in manibus, quas, expleto Evangelio, deponunt.

22. Episcopus in fine Evangelii osculatur Librum, et incensatur a Presbytero assistente.

23. Proceditur in Missa, ut alias, prout in *cap. IX. Caerem. Episc. lib. II.* de Missa, quae coram Episcopo celebratur, et prout in *cap. XIII.* ejusdem *Caerem. Episc. lib. II.* de Vesperis et Missis in Dominicis Adventus dictum fuit.

24. Ad elevationem solus Episcopus tenet Palmam.

CAPUT IV.

DE DOMINICA PALMARUM CELEBRANTE EPISCOPO.

§. I.

De praeparandis pro Sacris Functionibus hujus Dominicae.

1. Si Episcopus vellet etiam Missam celebrare, in Altari Majori apponuntur septem Candelabra argentea.

2. Parantur omnia, quae dicta sunt supra in *cap. I. §. I.* hujus *tituli III.*; paramenta autem missalia pro Celebrante et Ministris non parantur, quia Episcopus est sollemniter Missam celebraturus.

3. In Abaco adduntur: Pelvis cum sandaliis violaceis, et velum humerale ejusdem coloris violacei.

4. Alia paramenta Pontificalia pro Missa, violacei coloris, videlicet: Gremiale, planeta, chirothecae, dalmatica, tunicella. (*Si fuerit Archiepiscopus, Pallium Archiepiscopale cum velo, et spinulis in capsula*). Omnia velo serico violaceo cooperta.

5. Calix Episcopi cum purificatorio, patena cum

duabus hostiis, palla, velo, et bursa coloris violacei cum corporali.

6. Vasa argentea pro praegustatione, et ampullae vini et aquae.

7. Manipulus violaceus Episcopi in Missali inclusus.

§. II.

De Accessu Episcopi usque ad Distributionem Palmarum.

1. Post Primam Diaconus et Subdiaconus in albis ad Altare, et Canonici ad Episcopium.

2. Episcopus solito comitatu ad Ecclesiam.

3. Post consuetam aspersionem, et Orationem ad SS. Sacramentum, et Altare Majus, ad propriam Sedem cum Diaconis assistentibus.

4. Diaconus et Subdiaconus in albis ad Episcopum, recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos.

5. Immediate Acolythi cum paramentis Pontificalibus ad Episcopum.

6. Episcopus accipit paramenta, videlicet: amictum, albam, cingulum violaceum, crucem pectoralem, stolam, et pluviale violacei coloris, et Mitram simplicem.

7. Interim Canonici in locis suis stantes accipiunt sacra paramenta coloris violacei eis convenientia.

8. Ministri induuntur pluvialibus, et Cruciferarius planeta plicata in Aula Majori, et statim in Chŏro.

9. Accedentibus denuo Diaconis assistentibus paratis, Diaconus et Subdiaconus recedunt, et in propriis locis manipulos et planetas accipiunt.

10. Episcopus procedit ad Benedictionem Palmarum, ut supra in *cap. II.* hujus *tituli III.* §. *II.*, deinde ad Distributionem Palmarum, ut ibi §. *III.* usque ad num. 18 inclusive. Deinde fit Processio, ut notatur ibidem §. *IV.* usque ad num. 9 exclusive.

11. Interim dum fit Processio ponuntur super Altare paramenta Pontificalia pro Missa, praeparata in Abaco, ut supra in hoc *cap. IV.* §. *I.* *unm.* 4.

§. III.

De Tertia cantanda per Episcopum.

1. Processio terminatur ante Altare, cui omnes debitam reverentiam facientes vadunt ad locum suum.

2. Episcopus ad suam Sedem cum Diaconis assistentibus.

3. Diaconus et Subdiaconus ad propria scabella, ubi deponunt planetas plicatas.

4. Canonici Chorum ingressi retinent paramenta violacea.

5. Postquam Episcopus sederit aliquantulum, surgit sine Mitra, dictisque secreto *Pater noster*, et *Ave Maria* pro Tertia, cantat *Deus in adjutorium* etc.

6. Hymnus vero, et Antiphona cantatur a Cantoribus.

7. Intonato Psalmo *Legem pone*, Episcopus sedens cum Mitra, legit consuetos Psalmos pro praeparatione ad Missam Pontificalem.

8. Interim accipit sandalia per Subdiaconum in Albis.

9. Dum autem dicit Orationes, deponit Mitram, et surgit; et iterum sedet cum Mitra, donec absolvantur Psalmi Tertiae. Quibus finitis, et cantata Antiphona, Subdiaconus in albis cantat Capitulum, stante Episcopo cum Mitra.

10. Deinde Episcopus completis Responsoriis deponit Mitram, et stantibus hinc inde ante Sedem Ceroferariis, Presbytero assistente sustinente Librum, cantat *Dominus vobiscum*, et Orationem.

11. Episcopus sedet, accipit Mitram, lavat manus: accedunt Diaconus et Subdiaconus in albis, non recedentibus Diaconis assistentibus, et deposita Mitra, ac pluviali, accipit tunicellam, dalmaticam, chirothecas, planetam, et Mitram auriphrygiatam, (et si fuerit Archiepiscopus accipit etiam pallium).

12. Deinde Presbyter assistens imponit ei annulum, recedentibus Diacono et Subdiacono ad loca sua, ubi accipiunt planetas plicatas, et manipulos violacei coloris.

§. IV.

De Missa Pontificali.

1. Episcopus Missam celebraturus, accepto baculo Pastorali, medius inter Diaconos assistentes procedit ad Altare sine incenso, sine Cruce, et candelabris.

2. Dicto *Indulgentiam etc.* Subdiaconus accedit ad Episcopum, et cum osculo manipuli et manus, illum imponit sinistro brachio Episcopi, qui eum deosculatur in medio.

3. Continuatur Missa Pontificalis de more, ut in *Caerem. Episc. lib. II. cap. VIII.* de Missa sollemni Episcopo Celebrante.

4. Episcopus ante Orationem dicit *Dominus vobiscum*, non autem *Pax vobis.*

5. Subdiaconus, dum Episcopus Celebrans canat Orationem, deposita planeta plicata, accipit Librum Epistolarum, et cantata Epistola, osculataque manu Episcopi, planetam resumit.

6. Cum Subdiaconus in Epistola pronunciabit verba illa: *Ut in nomine Jesu omne genuflectatur*, serventur ea, quae dicta sunt supra in *cap. III.* hujus *tit.* a num. 9 usque ad num. 13 inclusive.

7. Dum autem incipitur Passio, Episcopus, deposita Mitra surgit, accedit ad Altare in cornu Epistolae, ubi stans, non signans librum, neque seipsum, legit Passionem, in qua cum nominatur *Jesus*, semper caput inclinat versus librum.

8. Lecta Passione ad Cantores conversus, cum palma in manibus, ibi stat usque ad eam partem, quae cantatur in tono Evangelii.

9. Finita Passione, Cantores, ordine quo venerant, recedunt; Episcopus autem redit ad Sedem suam, ibique sedens accipit Mitram, et junctis manibus secreto dicit: *Munda cor meum etc.* Deinde legit: *Altera autem die etc.*

10. Interim Diaconus, dimissa planeta plicata, quam non resumit nisi ad Postcommunionem, accipit Stolam latiorem, et Librum, quem defert

super Altare; postea accedit ad osculum manus Episcopi, et reversus ad Altare, genuflexus dicit more solito: *Munda cor meum etc.*

11. Episcopus imponit incensum de more, et Diaconus cum Subdiacono accedit ad Episcopum pro benedictione, et proceditur ad Evangelium hoc ordine:

I. Caeremoniarius.

II. Thuriferarius.

III. Duo Acolythi sine candelabris, et manibus junctis.

IV. Diaconus cum Libro.

V. Sequitur Subdiaconus.

12. Deinde Diaconus in cornu Evangelii, vel alibi prout de more, stante Subdiacono, medio inter duos Acolythos, et Librum apertum tenente ante pectus, eumdem Librum incensat: non dicit *Dominus vobiscum*, neque signat Librum, neque seipsum; sed absolute in tono Evangelii cantat: *Altera autem die etc.*

13. Episcopus in fine Evangelii osculatur Librum, et incensatur a Presbytero assistente.

14. Prosequitur Missa Pontificalis, ut alias.

CAPUT V.

DE VESPERIS HUJUS DOMINICAE PALMARUM CELEBRANTE EPISCOPO.

1. In Vesperis hujus Dominicae ea omnia servabuntur, Episcopo Celebrante, quae in *Caerem. Episcopor. lib. II. cap. I, et cap. II.* sunt expressa, exceptis tamen infrascriptis.

2. Quia primum Ecclesia, Altare, et chorus simpliciori apparatu ornantur.

3. Paramenta omnia erunt coloris violacei, et Diaconi, et Subdiaconi non quidem dalmaticis, et tunicellis, sed planetis ante pectus plicatis utuntur, quae tamen omnia expressa sunt in *lib. II. Caerem. Episcop. De Vesperis, et Missis sollemnibus in singulis Dominicis Adventus cap. XIII, et in Dominicis Quadragesimae cap. XX.*

CAPUT VI.

DE VESPERIS HUJUS DOMINICAE PALMARUM PER CANONICUM CANTANDIS.

Episcopo assistente cum Cappa ; et de Concione.

1. Campanarum sonus pro Vesperis.

2. Mansionarii duo pro pluvialibus, et duo Acolythi cum ipsis in Aula minori paramentorum, et inde in Secretario.

3. Canonicus celebrans in Secretario, induitur per Mansionarios paratos amictu super rocchetto, et pluviali coloris violacei.

4. Praecedentibus Caeremoniario et Ceroferariis medius inter duos assistentes paratos e Secretario ad Altare, et inde ad scamnum praeparatum, et ornatum a latere Epistolae. Et Canonici ad Episcopium.

5. Episcopus solito comitatu ad Ecclesiam cum Cappa, quo ingrediente Presbyterium Celebrans stet sine bireto, donec ille oraverit, et ad Sedem cum Diaconis assistentibus accesserit.

6. Episcopus sedet aliquantulum, deinde surgit, et dato signo, Canonicus Celebrans dicit se-

creto: *Pater noster*, et *Ave Maria*; ac petita prius ab Episcopo licentia, incipit *Deus in adjutorium etc.*

7. Dum inchoatur Antiphona primi Psalmi, Presbyter assistens ad Episcopum in scabello solito assistentiae.

8. Antiphona *Dixit Dominus* cantatur a Celebrante praeintonante suo Primo Assistente.

9. Reliquae Antiphonae intonantur a Canonicis dignioribus in Choro, quae ipsis praeintonantur ab uno ex supradictis Mansionariis paratis.

10. Capitulum cantabitur ab aliquo Mansionario in habitu Chorali. Et ad ℣. *O Crux etc.* Episcopus in plano Solii super pulvinum, et omnes in locis suis genuflectunt.

11. Hymnus *Vexilla*, et Antiphona: *Scriptum est enim* ad *Magnificat* praeintonatur ab eodem Assistente ipsi Celebranti.

12. Ad *Magnificat* Episcopus stans imponit incensum in thuribulo more solito ministrante Presbytero assistente.

13. Chorus autem admoneatur, ut versiculos Cantici *Magnificat* lente prosequatur, ita ut eodem tempore illos perficiat, quo thurificatio expleta fuerit.

14. Incepto Cantico praedicto, ipse Canonicus Celebrans cum suis assistentibus surgit, et facta

reverentia Episcopo thurificat more solito Altare; quo thurificato, ipse stans in cornu Epistolae, capite detecto, ab altero ex dictis duobus Beneficiatis assistentibus, pluviali indutus, thurificatur duplici ductu thuribuli.

15. Mox Episcopus stans a Presbytero Canonico assistente thurificatur apud Sedem suam triplici ductu: et demum omnes Canonici, et alii ordine suo thurificantur.

16. Finito Cantico, omnes sedent, et repetita per Chorum Antiphona, Celebrans cantat Orationem, stans versus Altare a latere Epistolae, duobus Acolythis candelabra cum cereis ardentibus afferentibus, et alio, inter illos medio, Librum tenente.

17. Qua finita, et dicto per Chorum: *Benedicamus Domino etc.* Episcopus stans in sua Sede sollemniter benedicit de more.

18. Celebrans discessurus, medius inter Ministros, facit Altari, Episcopo, et Canonicis reverentiam, et in egressu Presbyterii sumens biretum, redit in Secretarium pro dimissione paramentorum.

19. Tunc Concionator ducitur per Caeremoniarium ad Episcopum pro Benedictione, et Indulgentiis, deinde ad Ambonem.

20. Presbyter assistens accedit cum aliis ad lo-

cum suum in Choro, et omnes sedent, et fit Sermo.

21. Finito sermone Concionator, capite detecto, genuflexus in eodem ambone expectat finem Confessionis.

22. Mansionarius in habitu Chorali stans ante infimum, vel in supremo gradu Altaris conversus ad Episcopum cantat de more Confessionem. Finita Confessione, Concionator surgens, Indulgentiam publicabit. Interim Ministri de libro, et bugia ad Episcopum.

23. Publicata Indulgentia, Episcopus leget ex Libro: *Precibus, et meritis etc.* et sollemnem Benedictionem dabit.

24. Episcopus descendit ante Altare, et post orationem solito comitatu revertitur ad Episcopium, remanentibus Mansionariis, et Clericis in Sacris constitutis in Choro pro Completorio.

CAPUT VII.

DUBIUM OCCURRENS IN DOMINICA PALMARUM.

1. Inter dubia Sacrae Congregationi Rituum proposita pro Dominica Palmarum, *Dub.* 3. An Episcopus assistens paratus vel cum Cappa Missae Palmarum, cum non possit stare dum tota Passio cantatur, debeat sedere coopertus, vel genuflectere? Et eadem Sacra Rituum Congregatio re-

spondendum consuit *Ad* 3. *Non debet sedere, neque genuflectere, sed stare, et in casu impotentiae debet abstinere ab interventu saltem Missae.* Et ita declaravit, et servari mandavit (*a*).

2. Et tunc Episcopus post sollemnem Palmarum benedictionem, ac distributionem, in reditu Processionis, accedentibus ad Altare duobus Canonicis in habitu Canonicali, ut supra diximus *Cap. III. num.* 2., facta Altari reverentia cum iisdem, vadit ad Secretarium, ubi sacra paramenta deponit, et gradiens per Aulas Canonicales, associatus a praefatis duobus Canonicis usque ad portam minorem, redit ad Domum suam.

3. Interim Canonici in locis suis sacra paramenta deponunt, et Celebrans cum Ministris accedit ad Altare, et incipit Missam sollemnem ac eam prosequitur juxta Rubricas Missalis Romani.

4. Convenientius tamen erit si cum instrumento ligneo elevetur pulvinar in Sede Pontificali, ut fit in Cappella SS. Domini Papae, et uti etiam praescribitur in *Memoriale Rituum Majoris Hebdomadae* in hac Dominica Palmarum, ut Episcopus commode stare possit dum tota Passio cantatur, quam abstinere ab interventu Missae.

(*a*) *Die* 28. *Apri*: 1708. *Decr. Auth. Tom. IV. num.* 3637. *ad* 3.

TITULUS IV.

FERIA II. MAJORIS HEBDOMADAE.

CAPUT I.

DE FERIA SECUNDA MAJORIS HEBDOMADAE EPISCOPO ASSISTENTE CUM CAPPA.

§. I.

De Praeparandis.

In Secretario.

1. Indumenta Missalia violacei coloris pro Celebrante, Diacono et Subdiacono.
2. Candelabra cum cereis pro Ceroferariis.
3. Thuribulum cum navicula.

In Altari Majori.

1. Candelabra ex aurichalco cum Cruce tecta velo violaceo.
2. Pallium Altaris violaceum minus sollemne.
3. Tapete super gradibus.
4. Tegumenta serica violacea pro Legili ad Evangelium.

In Credentia.

1. Vas aquae benedictae cum aspersorio pro accessu Episcopi.

2. Calix de more.

3. Missale cum suo cussino coloris violacei pro Celebrante.

4. Epistolarium et Evangeliarium.

5. Stola latior pro Diacono.

6. Ampullae vini et aquae cum sua pelvicula, et manutergio.

7. Tabella Indulgentiarum.

In Presbyterio et Choro.

1. Faldistorium cum veste et pulvinaribus violaceis, ac tapete substratum.

2. Sedes Pontificalis, ut heri.

3. Prope Sedem Liber Missalis cum tegumento violaceo, et bugia cum candela.

4. Liber Canonis.

CAPUT II.

DE MISSA HUJUS DIEI

Per Canonicum celebranda.

1. In fine Nonae Canonicus celebrans cum Diacono et Subdiacono planetis plicatis indutis è Secretario ad Altare de more expectantes adventum Episcopi; et Canonici ad excipiendum Episcopum.

2. Episcopus solito comitatu ad Ecclesiam.

3. Post consuetam aspersionem orat ante Altare SS. Sacramenti et Altare majus.

4. Episcopus post orationem ad Altare cum Diaconis assistentibus facit integram Confessionem, habens a sinistris Celebrantem stantem, et Diaconum et Subdiaconum aliquantulum post Celebrantem genuflexos, ut diximus in *cap. III. tit. I. num.* 3.

5. Interim Introitus per Cantores.

6. Finita Confessione Episcopus. ad Sedem cum Diaconis, et Presbytero assistentibus; Celebrans vero ad Altare.

7. Episcopus imponit, et benedicit incensum, ministrante Presbytero assistente.

8. Incensatur Altare de more, et Celebrans duplici ductu.

9. Introitus a Celebrante, et Episcopo. Interim Canonici exeunt pro Circulo, inter quos Presbyter assistens e scabello suae assistentiae.

10. Dictis *Kyrie eleison*, Canonici redeunt ad propria loca, et cum illis Presbyter assistens.

11. Episcopus descendit ad Faldistorium ante Altare cum Diaconis assistentibus pro Orationibus, sive Collectis.

12. Ad Orationes omnes genuflectunt praeter Celebrantem, Diaconum et Subdiaconum.

13. Episcopus post Orationes ad Sedem cum Diaconis, et Presbytero assistentibus.

14. Subdiaconus deposita planeta, procedit ad cantandam Epistolam, quam interim Celebrans legit cum Graduali et Tractu.

15. Finita Epistola Subdiaconus ad Episcopum pro osculo manus: et inde resumit planetam plicatam, et statim transfert Librum, ut Celebrans legat Evangelium.

16. Episcopus, accedentibus Ministris, legit Epistolam, Graduale, Tractum, et Evangelium.

17. Interim cantatur Graduale cum Tractu pausatim.

18. Episcopus ad Faldistorium ante Altare pro *Adjuva nos etc.* sic manens usque ad finem, genuflectentibus omnibus, etiam Celebrante in cornu

Epistolae super suppedaneo facie versa ad cornu Evangelii, cum Ministris hinc inde genuflexis in secundo gradu.

19. Episcopus cum Diaconis et Presbytero assistentibus ad Sedem.

20. Quo versu dicto, et non prius, Diaconus deposita planeta plicata, et accepta Stola latiori defert Librum ad Altare: deinde ad Episcopum pro osculo manus, et iterum ad Altare pro *Munda cor meum.*

21. Thuriferarius ad Episcopum, et ministratur incensum, et proceditur de more ad benedictionem cum Candelabris, et deinde ad Evangelium.

22. Episcopus osculatur Librum, et incensatur a Presbytero assistente.

Notandum, quod varia emanaverunt Decreta S. R. C. in casibus peculiaribus: An Episcopus assistens cum Cappa thurificandus sit post Evangelium. Medium iter arripuit *Memor. Rit. Majo. Hebdo.* (a) *Archiepiscopus osculatur Librum, et non incensatur, sicuti nec Celebrans ob reverentiam Archiepiscopi*, forsan quia Caerem. Episc. (b) haec habet: *Si vero Episcopus intererit*

(a) *Tit. II. de Feria II. Major. Heb. cap. II. num. 22.*

(b) *Lib. II. cap. IX. n. 8.*

Missae celebratae per aliquem inferiorem Episcopum, sive cum Pluviali et Mitra, sive cum Cappa, omnes praeeminentiae honores et actus praefati conveniunt ipsi soli Episcopo, excepto quoad thurificationem, quia quando non est paratus, ut supra, non debet thurificari, nisi post thurificationem oblatorum tantum.

Joseph Catalani (*a*) dicit: *quod sive ipse Episcopus loci cum pluviali et mitra, sive cum Cappa assistat, omnes praeeminentiae honores et actus praefati conveniunt ipsi soli Episcopo, excepto quoad thurificationem, quia scilicet quando non est paratus cum pluviali et mitra non debet thurificari, nisi post thurificationem oblatorum tantum, ut alias dictum est; et tunc Celebrans non incensatur initio Missae, nec post Evangelium, ut notat Bauldrius* (*b*).

Nos autem dicimus Episcopum assistentem cum Cappa thurificandum esse post Evangelium, et post Oblata; quia clara est dispositio ejusdem Caerem. Episcoporum *lib. I. cap. VII. num.* 7.

(*a*) *In Commentariis cap. IX. lib. II. Caerem. Episc. n.* 8.

(*b*) *Parte V. ubi enarrat cap. IX. lib. II. Caeremonialis articulo I. num. VI.*

*

Episcopo vero non celebrante, sed Vesperis, aut Missae sollemni per alterum cantatae praesente, tunc Presbyter, Canonicus dignior post Dignitates, assistat, prout et duo Canonici Diaconi, sed in habitu Canonicali, sine paramentis, cujus officium tunc erit ministrare Episcopo naviculam incensi, quoties benedicendum, et in thuribulum ponendum erit, et eumdem Episcopum thurificandi post Evangelium, et post oblata, et si est paratus cum Mitra, etiam in initio Missae.

Nam etsi allata duo texta Caeremonialis Episcoporum videantur pugnantia, facile conciliari possunt. Etenim in *lib. II. cap. IX. num.* 8. loquitur de thurificatione Altaris, et Celebrantis, quae thurificatio bis fit in Missa. Ad excludendum igitur primam thurificationem in initio Missae, quando Episcopus non est paratus, sed assistit cum Cappa, dicit quod *non debet thurificari nisi post thurificationem oblatorum tantum.* Et in *lib. I. cap. VII. num.* 7., ubi regulam statuit thurificandi Episcopum sive assistat cum Pluviali et Mitra, sive cum Cappa, dicit, quod officium Presbyteri assistentis *erit ministrare Episcopo naviculam incensi, quoties benedicendum, et in thuribulo ponendum erit, et eumdem Episcopum thurificandi post Evangelium, et post oblata, et si*

est paratus cum Mitra, *etiam in initio Missae.*

23. Prosequitur Missa de more, et dicto per Episcopum cum Canonicis ad circulum venientibus *Sanctus etc.* iterum Episcopus descendit ad Faldistorium, et ibidem genuflectit, sic manens usque ad *Per omnia saecula saeculorum etc. Pax Domini etc.* et tunc revertitur ad Sedem suam, surgentibus omnibus, praeter Ceroferarios luminaria tenentes, exeuntibus iterum Canonicis ad circulum.

24. Dicitur *Agnus Dei* ab Episcopo cum Canonicis, et eodem tempore a Celebrante cum Ministris.

25. Datur pax de more per Presbyterum assistentem, et per Subdiaconum respective.

26. Sumpto Sanguine, discendunt Ceroferarii cum luminibus, et cantatur *Communio.*

27. Episcopus sedet, et legit Communionem.

28. Diaconus translato libro ad cornu Epistolae, deponit Stolam latiorem, et resumit planetam plicatam.

29. Post Communionem, antequam Celebrans dicat *Dominus vobiscum*, Episcopus iterum descendit ad Faldistorium permanens genuflexus, ut supra ad omnes orationes.

30. Dicta ultima Postcommunione, Diaco-

nus vertit se ad Populum, et dicit: *Humiliate capita vestra Deo*; Episcopo et aliis genuflexis manentibus.

31. Finita Oratione Episcopus ad Sedem suam; et tunc, et non prius, Celebrans dicit *Dominus vobiscum*.

32. Ministri de Libro et Bugia ad Episcopum, et interim Celebrans dicit: *Placeat etc.* osculatur Altare, et se recipit cum Ministris ad cornu Epistolae.

33. Benedictio Sollemnis per Episcopum more solito.

34. Publicatio indulgentiarum per Celebrantem versus populum.

35. Celebrans facta reverentia Cruci in medio cum Ministris, accedit ad cornu Evangelii, et ibi legit Evangelium S. Joannis.

36. Tandem cum debitis reverentiis redit cum Ministris ad Secretarium.

37. Episcopus descendit ante Altare, et post Orationem solito comitatu revertitur ad Episcopium, remanentibus Mansionariis, et Clericis in Sacris constitutis in Choro pro Vesperis.

TITULUS V.

FERIA III. MAJORIS HEBDOMADAE.

CAPUT I.

DE FERIA III. MAJORIS HEBDOMADAE.

Episcopo Assistente cum Cappa.

§. I.

De praeparandis.

Omnia, quae in Feria II. praeter haec propria.

1. In Secretario tres Stolae, tres Manipuli coloris violacei, et tria Missalia pro Cantoribus Passionis.

2. In Presbyterio tria legilia pro eadem Passione.

3. Cussinus apud Sedem Pontificalem pro genuflectendo ad verba expirationis Domini.

4. In Sede Pontificali ligneum instrumentum pro elevando pulvinari.

CAPUT II.

DE MISSA HUJUS FERIAE III.

Omnia ut heri, praeter ea quae sequuntur.

1. Presbyter assistens accedit secunda vice ad Sedem post Collectas.

2. Non dicitur Tractus, nec Subdiaconus transfert Librum post Epistolam pro Evangelio, sed tantum post absolutum cantum Passionis.

3. Passio ut in Dominica Palmarum per Mansionarios, quam Celebrans legit in cornu Epistolae, adstantibus Ministris, ut ad Introitum.

4. Completa Passione, transit Celebrans ad cornu Evangelii pro legenda ea parte, quae in tono Evangelii cantanda est, adstante sibi Subdiacono.

5. Episcopus sedens, accedentibus Ministris, legit eamdem partem.

6. Interim Diaconus, deposita planeta plicata, et assumta Stola latiori procedit ad Evangelium, ut in Dominica dictum est.

TITULUS VI.

FERIA IV. MAJORIS HEBDOMADAE.

CAPUT UNICUM.

DE MISSA FERIAE IV. MAJORIS HEBDOM.

Episcopo assistente cum Cappa.

Omnia ut heri, praeter haec propria hujus diei.

1. Post *Kyrie* sequitur *Flectamus genua*: ad quae verba et Episcopus, et omnes genuflectunt, excepto Celebrante (*a*).

2. Post primam Orationem per Mansionarium in habitu chorali cantatur prima lectio, qua finita ad Episcopum pro osculo manus.

3. Episcopus, dum a Choro cantatur Graduale, legit lectionem cum ipso Graduali.

4. Ad Orationes sive Collectas Episcopus, ut heri, ad Faldistorium, deinde ad Sedem suam cum Presbytero assistente.

5. Epistola, Passio et reliqua, ut heri.

(*a*) *Caerem. Episcop. lib. II. cap. XXVIII. n.* 5.

TITULUS VII.

DE MATUTINIS TENEBRARUM

In sero Feriae IV. incipientibus.

CAPUT I.

DE PRAEPARANDIS PRO MATUTINO FERIAE V. IN COENA DOMINI.

In Altari Majori.

1. Altare remissius ornatum cum tapete, et pallio coloris violacei.

2. Crux in eo, velo violaceo cooperta, et sex candelabra ex auricbalco cum cereis cerae communis.

3. A latere Epistolae ponitur Candelabrum triangulare, accommodatum ad sustinendos quindecim cereos cerae communis, singulos pondere unius librae, vel circa.

4. Instrumenta ad extinguendos et accendendos cereos apta pro Altari, et triangulo.

5. Instrumentum ligneum pro tegenda ultima candela in cornu Epistolae retro Altare.

6. Crotalum pro strepitu.

In Presbyterio, et Choro.

1. Tapetia strata pro hac prima vice.
2. Faldistorium cum veste et pulvinaribus violaceis in hoc primo Matutino, in aliis nudum.
3. Sedes Pontificalis cum solitis tegumentis violaceis in hoc primo Matutino, in aliis nuda.
4. Idem pro Canonicorum sedilibus servetur.
5. Legile nudum pro Lectionibus.
6. Breviarium, et bugia pro Episcopo.

CAPUT II.

DE PECULIARIBUS RITIBUS IN HOC MATUTINO FERIAE V. IN COENA DOMINI PERAGENDIS.

1. Sonus Campanarum festivus.
2. In fine Completorii paulo ante adventum Episcopi accenduntur cerei in Candelabro triangulari simul cum cereis Altaris ex eadem cera communi, extinctis et amotis candelabris, quae accensa fuerunt pro Completorio.
3. Canonici cum Mansionariis, et Clericis ad Episcopum.
4. Ipsa vero quarta feria, hora vigesima prima, vel circa, (in Cathedrali Basilica Sulmonen. hora vigesima prima cum dimidio, ut in

Basilica Vaticana, et in Cappella Sanctissimi Domini nostri Papae) Episcopus veniet cum Cappa ad Ecclesiam, sequentibus Canonicis : et ingrediens in Ecclesiam, cooperit sibi caput caputio cappae, et si erit Archiepiscopus non defertur Crux ante eum in Matutinis horum trium dierum, neque mazzerius ; et absque aspersione aquae benedictae (1).

5. Episcopus, factis solitis orationibus ante Altare SS. Sacramenti, et Altare Majus, sibi ipsi trahens cappae caudam per terram, accedit ad suam Sedem, nullo sibi tunc Canonico assistente, sed tantummodo aliquibus Cappellanis cum cottis circa eum stantibus. Quod si magis placeret accedere ad Chorum apud Canonicos, esset laudabile.

6. Postquam Episcopus aliquantulum quieverit in sua Sede, surgit, surgentibus omnibus, et detecto capite, dicit versus Altare secreto *Pater noster*, *Ave Maria*, *et Credo* usque ad finem : tum sibi ipse caput tegit eodem caputio, et sic stat, quousque ad ejus nutum Chorus dixerit Antiphonam *Zelus domus tuae* etc. qua finita, et ince-

---

(1) *Bened. XIII. Memor. Rit. Maj. Hebd. Tit. V. Cap. III. num. 4. et* 5.

pto Psalmo, sedet, et Cappellani aptant fimbrias Cappae, similiter Canonici, et alii omnes sedent.

7. Finito quolibet Psalmo, Caeremoniarius, vel aliquis Cappellanus accedit, cum debitis reverentiis, et cum instrumento apto ad extinguendum, ad Candelabrum triangnlare, et extinguit cereum in illius extremitate positum a latere Evangelii, deinde in fine alterius Psalmi alium ab alio latere, et sic successive alternatim ab utroque latere, singulos cereos extinguit in fine cujuslibet Psalmi, tam primi, quam sequentium Nocturnorum, et Laudum.

8. Finita Antiphona tertii Psalmi, ut quolibet Nocturno, post Versiculos Episcopus surgit, surgentibus omnibus, caput detegit, et finito Responsorio, dicit secreto totum *Pater noster*, ut prius; quo finito, tecto capite, sedet, sedentibus omnibus.

9. Tunc Cantores accedunt, cum debitis reverentiis Altari, et Episcopo, ad legile praeparatum in medio Chori, seu ad locum consuetum, secundum consuetudinem Ecclesiarum, et ibi cantant Lamentationes, quibus finitis, ac factis reverentiis Altari, et Episcopo, recedunt.

10. Lectiones secundi, et tertii Nocturni, cantant, vel ipsi Cantores, vel Canonici pro more

Ecclesiarum, incipiendo a junioribus, singuli singulas.

11. Ad *Benedictus* Episcopus surgit, detecto capite, surgentibus omnibus, et cum dicitur versiculus *Ut sine timore* Caeremoniarius, seu aliquis Cappellanus cum instrumento apto extinguit singulatim ad quemlibet versiculum singulos cereos Altaris alternatim, incipiendo a cornu Evangelii, et pariter omnia alia luminaria, si qua sunt per Ecclesiam, extinguuntur, praeterquam ante SS. Sacramentum, ita ut in fine *Benedictus* reperiantur omnia extinta.

12. Cum repetitur Antiphona post *Benedictus* Caeremoniarius, sive aliquis Cappellanus, removet ex Candelabro triangulari unicum cereum accensum in summitate trianguli positum, eumque accensum, elevata manu, sustinet super cornu Epistolae Altaris; et cum inchoatur *Christus factus est pro nobis etc.* illum sic accensum abscondit retro Altare, vel alio modo.

13. Episcopus autem, dum praedicta Antiphona repetitur, descendit a Sede, et dum inchoatur *Christus factus est etc.* genuflectit super Faldistorio praeparato ante Altare, omnibus genuflectentibus, et postea Chorus incipit sub silen-

tio *Pater noster*, mox Psalmum *Miserere mei Deus etc.* modulata sed flebili voce.

14. Quo finito, Episcopus genuflexus, ac capite aliquantulum inclinato, vel ex Libro, vel memoriter recitat clara voce Orationem *Respice quaesumus etc.* usque ad *qui tecum* exclusive, quod secreto complet.

15. Qua Oratione finita, Caeremoniarius manu scabellum, seu librum percutiens, per breve spatium strepitum fragoremque facit, et a caeteris similiter fit, donec Caeremoniarius cereum praedictum accensum, qui fuerat absconditus, in medium proferat, quo prolato, omnes cessare debent a strepitu.

16. Finito strepitu, Episcopus, et omnes surgunt, et recedunt eodem modo, et ordine, quo venerant.

17. Eadem servantur in duobus sequentibus Matutinis tenebrarum, hoc tantum excepto, quod Altare, Sedes Episcopalis, et tota tribuna, ac pavimentum sint penitus denudata: poterit tamen in Sede Episcopi adhiberi pulvinar, pro ejus commoditate, si voluerit; et advertatur, ut Officium perficiatur hora tarda, hoc est sole occidente.

18. Datur signum salutationis Angelicae hoc vespere cum Campana.

TITULUS VIII.

FERIA QUINTA IN COENA DOMINI

CAPUT I.

DE FERIA QUINTA IN COENA DOMINI CELEBRANTE EPISCOPO.

§. I.

De praeparandis pro omnibus Functionibus in hac Feria quinta persolvendis.

In Secretario.

1. Altare festive ornatum.
2. Crux in eo, velo violaceo tecta.
3. Paramenta Missalia pretiosa albi coloris pro Episcopo super illud, videlicet:

Gremiale, annulus Pontificalis, mitra pretiosa, planeta, chirothecae, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulus albi coloris, alba, amictus,

(Si fuerit Archiepiscopus pelvicula argentea cum tribus spinulis, et Pallium Archiepiscopale in ea cum velo serico). Omnia velo serico cooperta.

4. Pastorale a parte Epistolae prope Altare.

5. Faldistorium cum veste et pulvinaribus violaceis ante Altare pro Nona.

6. Sedilia octo pro Presbyteris, Diaconis, et Subdiaconis hinc inde in fine Secretarii, ut sedentes respiciant Altare.

7. Duo alia hinc inde pro octo paratis pro hastis in parte interiori Secretarii ante sedilia Canonicorum, itaut sedentes respiciant se invicem.

In Abaco, seu Credentia ejusdem Secretarii.

1. Liber Canonis et Bugia.

2. Sandalia albi coloris cum velo humerali violaceo.

3. Argentea vasa ad abluendas manus, et mantile pro astersione earumdem.

4. Duo manipuli albi coloris pro Diacono et Subdiacono.

5. Missale cum tegumento albo, et manipulo Episcopi.

6. Thuribulum cum navicula.

7. Duo caudelabra cum cereis.

8. Pontificale pro Cantoribus in delatione Chrismatis etc.

In Aula Minori paramentorum.

1. Paramenta albi coloris pro Diacono et Subdiacono, exceptis manipulis.

2. Quatuor pluvialia pro Ministris, vel saltem unum pro Ministro de Baculo secundum consuetudinem Ecclesiarum, et tunicella pro Crucifero.

3. Abacus, seu Credentia cum mantili, et duobus candelabris cum cereis pro Oleis sanctis.

4. Tres ampullae Oleorum, scilicet Chrismatis cum serica veste alba; Cathecumenorum cum serica veste viridi; et Infirmorum cum serica veste violacea.

5. Mappulae lineae duae.

6. Bacile argenteum cum vasculo balsami et alio vasculo argenteo pro mixtione cum duabus spatulis item argenteis, et bombycio. Omnia supradicta *num.* 4. *etc.* in principio Missae disponuntur super Altare Secretarii.

7. Intorticia pro elevatione Missae.

8. Candelae pro Processione. Una picta et ornata pro Episcopo, quam unus ex suis Cappellanis deferat in Processione.

In Aula Majori paramentorum.

1. Omnia paramenta albi coloris pro Dignitatibus, et Canonicis in Secretario vestiendis.

2. Octo pluvialia albi coloris pro Presbyteris hastas baldachini deferentibus, vel Sex.

3. Duodecim planetae, septem dalmaticae, septem tunicellae cum undeviginti stolis, et vigintisex manipulis ejusdem coloris albi pro Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis in benedictione Chrismatis, et sacrorum Oleorum.

4. Dalmatica, stola et tunicella albi coloris pro Diacono et Subdiacono in Mandato ministraturis, exceptis manipulis.

In Altari Majori.

1. Altare sollemniter ornatum cum vasis florum tantum inter septem Candelabra argentea.

2. Crux in eo, velo albo tecta, et desuper violaceo, removendo, dum in Secretario paratur Episcopus.

3. Duo alia Candelabra pro Horis minoribus.

4. Pallia duplicia, scilicet violacei coloris pro iisdem Horis, et albi pro Missa.

5. Tegumenta serica pro Epistola, et Evan-

gelio in Ambone, in Ecclesiis in quibus viget haec consuetudo.

6. Pulvinar album pro Episcopo accedente ad Altare post consecrationem.

7. Duo scabella vel scamnum in cornu Epistolae pro Diacono et Subdiacono.

8. Crux Capituli velo violaceo cooperta pro Processione.

In Abaco, seu Credentia Altaris Majoris.

1. Epistolarium, et Evangeliarium cum tegumento albi coloris.

2. Aliud Thuribulum.

3. Argentea vasa, praeter alia ad abluendas manus cum medulla panis, et mantilia pro abstersione manuum.

4. Cussinus albus cum Missali, et Liber Canonis.

5. Velum humerale album pro Subdiacono in delatione Calicis tantum.

6. Pyxis cum particulis.

7. Tres Calices, primus pro Episcopo cum suis annexis, et tribus hostiis; secundus reponendus in capsula Sacelli, sive Sepulchro cum palla, patena, velo albo pulchro, et vitta alba; tertius cum purificatorio pro ablutione, et abstersione digitorum Episcopi.

8. Vasa argentea pro praegustatione, et ampullae vini et aquae.

9. Rituale Romanum pro Confessione dicenda ante Communionem.

10. Velum oblongum, et stolae albae pro Communione Cleri.

11. Schedulae num. tredecim pro pauperibus in Missa communicandis.

12. Vas pro purificatione Communicantium, et mappula linea.

13. Mitra auriphrygiata.

14. Pluviale album, pectorale, et velum humerale pro Episcopo.

15. Crotalum pro signo salutationis Angelicae.

In Presbyterio et Choro.

1. Presbyterium undique tapetibus stratum.

2. Sedes Episcopalis cortinis albi coloris ornata.

3. Sedilia Canonicorum suis pannis tecta.

4. Paratur etiam alia Sedes pro Episcopo circa finem Presbyterii ab opposito Altaris.

5. Ante ipsam Sedem versus altare paratur mensa mappis ornata, quae sit juxta Sedem, inter ipsam et Altare.

6. Tria scabella pro Archidiacono, et Canonicis assistentibus.

7. Juxta dictam Sedem hinc inde, magis tamen ad finem Presbyterii, posita sint scamna pro duodecim Sacerdotibus, ita ut ibidem sedentes facies vertant ad Altare.

8. Post ipsos sedilia pro septem Diaconis et post Diaconos pro septem Subdiaconis in gradibus Presbyterii.

9. Alia sedilia hinc inde in Presbyterio pro octo Pluviali paratis hastas baldachini delaturis.

10. Faldistorium cum pulvinaribus, et veste violacei coloris pro fine Vesperarum, et post denudationem Altaris nudum cum duobus pulvinaribus violaceis.

11. Legile cum Graduali, et Pontificali pro Schola a latere Evangelii retro sedile hastas baldachini deferentium.

12. Liber cum Antiphona: et Psalmo pro denudatione Altaris.

13. Baldachinum Processionale album.

In Sacello parato pro repositione Sacramenti.

1. Corporale stratum intra Capsulam.
2. Pulvinar album ante Altare.
3. Tabella pro Indulgentiis.
4. Scabellum graduatum pro repositione Calicis.

In Aula Episcopii, vel in Ecclesia pro Mandato.

1. Sedes Episcopi in Capite Aulae tecta violaceis cum tapete substrato.

2. Sedilia Canonicorum a dextris, pannis contecta.

3. Sedilia altiora ornata pro pauperibus a sinistris, et super tapete ante ea pulvinus, quem Caeremoniarius, sive Cappellanus continuo trahit; et pelves.

4. Abacus, seu Mensa vasis argenteis cum floribus nobiliter ornata contra Sedem Episcopi in medio aulae, et super eam:

Duo Candelabra cum cereis ardentibus:

Paramenta Pontificalia, videlicet: Mitra simplex, pastorale, pectorale, pluviale, stola violacei coloris, crux pectoralis, et cingulus violacei coloris, alba, amictus; omnia velo violaceo cooperta.

Duo manipuli albi coloris pro Diacono et Subdiacono.

Evangeliarium pro Evangelio.

Missale cum tegumento violaceo pro Episcopo, et bugia.

Thuribulum cum navicula. Vas cum carbonibus accensis.

Gremiale lineum cum cordulis pro gremio Episcopi.

Urcei argentei plures cum aqua calida, et frigida.

Argenteae lances cum tredecim mappulis ad abstergendos pedes pauperum. Alia lanx cum pecuniis pro pauperibus.

Argentea vasa ad abluendas manus Episcopi cum medulla panis, et mantile pro abstersione manuum.

5. Duo scabella prope Abacum pro Diacono et Subdiacono, versa facie ad Sedem Episcopi.

6. Duo legilia, unum coopertum tegumento serico albo pro Evangelio; alterum nudum pro Schola a sinistris Sedis.

7. Liber cum Antiphonis, Versiculis, et Psalmis pro Cantoribus.

8. Tandem pro Coena paratur Mensa cum sedilibus, et pulpitum cum suo scabello graduato pro Concionatore.

CAPUT II.

DE SACRIS RITIBUS FERIA V. IN COENA DOMINI PERAGENDIS.

§. I.

De accessu Episcopi usque ad Nonam inclusive.

1. Sonus festivus Campanarum summo mane pro Officio.

2. Dicuntur Horae minores demissa voce, ac sine cantu usque ad Nonam exclusive; ad quas duae candelae accenduntur super Altare.

3. Summo mane Episcopus cum Cappa solito comitatu, precedente Mazzerio (ac etiam Cruce si fuerit Archiepiscopus), veniet ad Ecclesiam, et omissa aspersione aquae benedictae, procedit ad orationem ante SS. Sacramentum, et inde ad Secretarium.

4. Episcopus in Secretario orat in Faldistorio ante Altare, in quo prius accensae sint Candelae, orantibus omnibus in propriis locis.

5. Episcopus ascendit solus ad Sedem suam, et sedet, sedentibus omnibus.

6. Mox surgunt omnes: dicitur secreto *Pater*, et *Ave*: et interim Cappellanus, et Acolythi ad Abacum pro Sandaliis.

7. Chorus incipit et prosequitur Nonam productius solito.

8. Episcopus sedet, et statim sine mora, accedentibus duobus solitis Diaconis cum Presbytero assistente, et ministris, legit Psalmos consuetos sine *Gloria etc.*, Choro interim sedente.

9. Accipit Sandalia albi coloris per Cappellanum cum velo humerali violaceo.

10. Completis ab Episcopo psalmis, et orationibus, recedunt Diaconi cum Presbytero ad propria loca.

11. In fine Nonae Episcopus ad Faldistorium, trahens sibi caudam Cappae explicatae, ubi genuflectit ad Versiculum *Christus factus est etc.* Psal. *Miserere etc.*, et ad Orationem, quam ipse dicit: ac tandem redit ad Sedem cum Diaconis, et Presbytero.

(Si reconciliandi essent publice Poenitentes, in Fer. IV. Cinerum publice expulsi, Episcopus, deposita Cappa, lotisque manibus, hic pro eorumdem reconciliatione una cum Ministris, ut in Pontif. violacea paramenta desumeret, ac omnia in Cap. III. hujus Tituli praescripta servaret).

§. II.

De agendis in Secretario post Nonam usque ad accessum ad Altare.

1. Pulsantur Organa: removetur faldistorium: et Diaconus ac Subdiaconus ex Aula minori paramentorum in Secretarium ad propria scabella.

2. Episcopus exuitur Cappa, et manus lavat.

3. Recedentibus Diaconis cum Presbytero assistente, Diaconus et Subdiaconus parati ad Episcopum, sequentibus Acolythis cum paramentis missalibus Episcopi.

4. Episcopus sumit paramenta missalia, et Canonici pariter sua in propriis locis.

5. Ministri de Pastorali (de Mitra, et Bugia si sit consuetudo) cum Cruciferario idem faciunt in Aula minori paramentorum: Duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septemque Subdiaconi, et octo vel sex pro hastis baldachini in Aula majori paramentorum pariter accipiunt paramenta. (*Advertat autem Caeremoniarius, ut Episcopus non vestiatur, nisi omnes in suo Ministerio existant*).

6. Interim amovetur velum violaceum a Cruce Altaris Majoris, remanente albo.

Item pallium violaceum ejusdem Altaris, remanente albo.

7. Paratis Canonicis, procedunt Ministri, et Cruciferarius item parati ex Aula minori paramentorum in Secretario.

8. Immediate omnes parati pro hastis baldachini, et pro Oleis Sacris ex Aula Majori ad Secretarium hoc ordine.

I. Duo Acolythi.

II. Caeremoniarius.

III. Octo vel sex cum pluvialibus bini subsequentibus.

(*Si octo isti, vel sex fuerint Canonici Collegiatarum ibunt eodem ordine post duodecim Presbyteros paratos*).

IV. Quatuor juniores Subdiaconi bini incedentes.

V. Tres alii seniores Subdiaconi subsequentes.

VI. Quatuor juniores Diaconi bini incedentes.

VII. Tres alii seniores Diaconi subsequentes.

VIII. Duodecim tandem Presbyteri bini subsequentes.

9. In Secretario, factis genuflexionibus Altari, et Episcopo, quisque ex supradictis suum petit locum.

10. Parato Episcopo usque ad Mitram, Diaconi cum Presbytero assistente ad illum.

11. Diaconus et Subdiaconus ad propria loca pro manipulis.

12. Episcopus accipit annulum a Presbytero assistente, et ministrat incensum.

13. Proceditur ad Missam ordine infrascripto:

I. Caeremoniarius.

II. Clerici omnes ordine eorum.

III. Mansionarii.

VI. Mazzerius.

V. Thuriferarius.

VI. Cruciferarius paratus cum Cruce velo violaceo tecta inter Ceroferarios.

VII. Octo, vel sex parati cum pluvialibus.

VIII. Septem Subdiaconi.

IX. Septem Diaconi.

X. Duodecim Presbyteri.

XI. Canonici Cathedralis ordine eorum.

XII. Subdiaconus Epistolae cum Missali, et Manipulo.

XIII. Presbyter assistens cum Diacono ad sinistram.

XIV. Episcopus inter Diaconos assistentes.

XV. Ministri de Baculo, Libro, et Bugia.

XVI. Vicarius Generalis, et Protonotarii, si adsint.

14. Hac autem methodo exibunt e Secretario, et facta ab omnibus genuflexione ad Altare Majus, unusquisque suum petit locum.

15. Duodecim Presbyteri suo ordine juxta sedilia in fine Presbyterii posita, hinc et inde stabunt, vel sedebunt, aut genuflectent, prout tempus postulabit, facies semper ad Altare vertentes; post eos stabunt septem Diaconi, et post Diaconos septem Subdiaconi in gradibus Presbyterii.

§. III.

De Missa usque ad Benedictionem Olei infirmorum exclusive.

1. Episcopus ante Altare, deposita Mitra, facit Confessionem, (relicto Psal. *Judica me etc.*) ad quam omnes genuflectunt, exceptis Canonicis cum Praelatis, et aliis paratis.

2. Hi omnes pariter confessionem faciunt ad invicem, sicut etiam suo tempore dicunt *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, *Credo*, *Sanctus*, *et Agnus*.

3. Episcopus prosequitur Missam Pontificalem more solito usque ad *Per quem haec omnia Domine etc.* exclusive, his tantum exceptis.

1. Ad *Gloria in excelsis* pulsantur Campanae, et postea silent Campanae, et Organa usque ad *Gloria* Sabbati Sancti.

2. Duae hostiae, et particulae in pyxide offeruntur consecrandae.

3. Patena non traditur Subdiacono.

4. In thurificatione oblatorum, et Altaris Subdiaconus cum Diacono planetam elevat.

5. Ministri parati pro Sacris Oleis, et hastis incensantur duplici ductu, vel omnes simul, prout tempus feret.

6. Crotalum non pulsatur neque ad *Sanctus*, neque ad elevationem.

7. Subdiaconus incensat in elevatione SS. Sacramentum.

§. IV.

De Benedictione Olei infirmorum.

1. Dicto *Nobis quoque peccatoribus*, Caeremoniarius defert e Credentia ad Altare Calicem vacuum pro ablutione digitorum Episcopi, et Acolythus Ampullam cum patera.

2. Episcopus antequam dicat *Per quem haec omnia Domine semper bona creas*, facta genuflexione Sacramento in Altari consecrato, retrahit se ad partem Epistolae Altaris, ubi supra dictum Calicem vacuum abluit digitos, et ad purificatorium abstergit, ministrantibus Subdiacono ampullam, et Diacono purificatorium, et ablutio usque post Communionem Episcopi reservatur.

3. Tum facta iterum genuflexione in medio, descendit primum gradum Altaris (*scilicet suppedaneum*), et ibidem (*idest in secundo gradu*) accepta per Diaconum et Subdiaconum Mitra auriphrygiata, et per Archidiaconum baculo, vadit ad dictam Sedem sibi paratam in Presbyterio, ab opposito Altaris cum Archidiacono, et duobus Diaconis assistentibus.

4. Et sedet super ipsam, versa facie ad Altare, dictam mensam ante se habens, circumstantibus Ministris, Sacerdotibus, et aliis paratis praedictis in suis locis manentibus.

5. Interim Diaconus et Subdiaconus stantes ad latera Altaris hinc inde super secundo gradu, remanent Sacramentum custodientes.

6. Tunc Archidiaconus stans apud Episcopum dicit alta voce in tono lectionis: *Oleum infirmorum*, et sedet.

7. Et mox unus Subdiaconus ex septem paratis praedictis, facta genuflexione Episcopo, et Altari a duobus Acolythis hinc inde associatus, praecedente Caeremoniario, vadit ad Sacristiam.

8. Subdiaconus ibi accipit mappulam lineam super quam, e collo pendentem, firmat ampullam Olei coopertam veste violacea serica, quam ampullam ipse in sinistro brachio sustinet, et extre-

mitate mappulae a dextris pendente dextero brachio circumdat, involvit, et cooperit, ita tamen, ut a medio sursum videri possit.

9. Idem in Presbyterium, ubi cum Acolythis associantibus facit genuflexionem Sacramento, inde ante Mensam Episcopo, ascendit, et eam tradit in manibus Archidiaconi, plane dicens: *Oleum infirmorum.*

10. Archidiaconus eamdem ampullam accipit, et praesentat illam Episcopo ad benedicendum, pariter plane dicens: *Oleum infirmorum*, collocans eam coram eo super mensam supradictam.

11. Removetur operculum ex ampulla per Caeremoniarium, et Episcopus surgens cum Mitra exorcizat, et benedicit illud voce demissa, ita tamen, quod a circumstantibus Sacerdotibus audiri possit, absolute dicens: *Exorcizo te etc.*

12. Deinde deposita mitra, benedicit ipsum Oleum, dicens eadem voce: *Dominus vobiscum etc.*

13. His expletis cooperitur ampulla, et Archidiaconus eamdem reddit Subdiacono praedicto, qui eodem comitatu, et debitis genuflexionibus reportat eam ad Secretarium; ac inde redit ad proprium locum.

14. Tunc Episcopus, reassumta mitra, sedet, et lavat manus; tum surgit, et cum mitra, ac ba-

culo, et Ministris suis (caeteris Sacerdotibus, et aliis paratis, in locis suis manentibus) accedit usque ad gradum Altaris.

§. V.

De Prosecutione Missae usque ad Communionem Cleri.

1. Episcopus ante gradus Altaris, deposita mitra, et facta genuflexione super pulvino in plano ascendit ad Altare, et sine alia genuflexione prosequitur Missam a verbis illis: *Per quem haec omnia etc.*

2. Dicitur *Agnus Dei*; et in tertio dicitur: *Dona nobis pacem* de more cum tribus consuetis orationibus, non tamen datur osculum pacis.

3. Paullo ante Communionem, Caeremoniarius, vel aliquis Cappellanus portat ex Abaco ad Altare supradictum Calicem magnum vacuum cum palla, patena, et velo albi coloris.

4. Sumptaque Communione Corporis et Sanguinis, antequam se purificet *Episcopus*, reponet SS. Sacramentum in Calice illo magno, quem Diaconus sustinet, deinde palla, et patena desuper posita, ac demum velo serico cooperit, et in medio Altaris collocat reverenter.

5. Deinde Episcopus antequam se purificet communicat primum Diaconum et Subdiaconum, qui ante Communionem osculantur tantum manum Episcopi, sicut et caeteri communicandi, ut infra. Sed hodie Diaconus et Subdiaconus assistentes, et caeteri Canonici parati, faciem Episcopi Celebrantis non osculantur.

§. VI.

De Communione Cleri.

1. Episcopus postquam Diaconum et Subdiaconum communicaverit, ac etiam antequam se purificaverit, ac digitos abluerit, retrahit se ad Cornu Evangelii, versa facie ad cornu Epistolae, et Subdiaconus stabit post ipsum; Diaconus vero stans in cornu Epistolae versus Celebrantem aliquantulum inclinatus, ac manibus junctis, cantabit Confessionem in tono et notis consuetis, omnibus communicandis in locis suis genuflexis (*a*).

2. Episcopus vero celebrans, finita Confessione, legit ex libro ante se allato, vel memoriter, voce intelligibili, absolutionem, videlicet: *Misereatur vestri etc.* et *Indulgentiam etc.* et facit super

(*a*) *Caerem. Episc. Lib.* 2. *Cap.* 29.

populum signum Crucis, et statim loca permutant, videlicet Celebrans cum Subdiacono accedunt, cum debitis genuflexionibus ante SS. Sacramentum, ad cornu Epistolae, Diaconus vero, relicto dicto cornu Epistolae, vadit ad cornu Evangelii, et capit cum debitis reverentiis dictum vas, seu pixidem coopertam cum hostiis, et eamdem discooperit, et Episcopus sistit se in medio Altaris, illi renes vertens, ad cujus dexteram stat Diaconus cum particulis consecratis, ad sinistram Subdiaconus cum patena.

3. Eodem tempore vocantur duo Cappellani, seu Acolythi, cottis induti cum mantili albo, quod genuflexi sustinent ante communicandos hinc inde ambabus manibus, per quatuor angulos, quousque perfecta fuerit Communio. Communionem administrante Episcopo inter Missarum solemnia omnes genuflectere debent etiam Dignitates, et Canonici parati (1).

4. Qui autem Communionem sumpturi sunt, convenienter debent singuli cum debitis reverentiis ante Episcopum accedere, et Communione sumpta, per latum sinistrum Celebrantis discedant, et ibi in cornu Epistolae accipiant purificationem

(1) *S. R. C. Decr. Auth. Tom. III. n.* 2896. *ad* 4.

de manu Sacristae, vel ministri calicem cum vino, et mappula ad tergendum appensa, ministrantis.

5. Cum Communio exhibetur Canonicis, vel Magistratui, convenienter debet aliquis Canonicus, vel eorum ultimus, dummodo tamen sit in sacris constitutus, purificationem praebere, deinde pro reliquis Beneficiatis id munus exsequitur aliquis Beneficiatus; pro reliquo Clero, et populo aliquis Cappellanus; et ne confusio inter euntes et redeuntes fiat, bonum erit adhibere aliquos de Clero, ad id deputatos, ut omnes quiete, devote, et ordine suo progredi curent, et per latus sinistrum revertantur.

6. Si aliquis Praelatus, non tamen Episcopus consecratus, vellet communicare, debet ante Communionem osculari manum Episcopi celebrantis, et idem Canonici parati observabunt, ac reliqui omnes, tam de Clero, quam de Populo, ac etiam Magistratus osculantur manum Episcopi tantum ante Communionem.

7. Interim accedunt communicandi hoc ordine, vocante Magistro Caeremoniarum.

I. Praelati, si adsint, cum superpelliceo super rocchettum, et stola, si sint Sacerdotes, aut Diaconi (1).

---

(1) *Caerem. Episc. Lib.* 3. *Cap.* 6.

II. Canonici omnes ordine eorum, inter quos Presbyter, et Diaconi assistentes.

III. Vicarius Generalis, et Protonotarii cum superpelliceis, et stolis, uti *N.* 1.

IV. Duodecim Presbyteri, septem Diaconi, Cruciferarius paratus, et septem Subdiaconi.

V. Octo, vel sex cum pluvialibus parati.

VI. Ministri si sint parati, vel saltem Minister de baculo cum pluviali.

VII. Mansionarii cum stolis, si sint Sacerdotes, aut Diaconi.

VIII. Presbyteri et Diaconi de Clero item cum stolis.

IX. Alii de Clero, servato sui ordinis gradu.

X. Tredecim pauperes.

XI. Familiares Episcopi.

XII. Reliqui de populo.

8. Finita Communione, reportantur funalia, quae usque tunc fuerunt accensa, et Diaconus reposito vase, seu pyxide cum hostiis super Altare, si quae remanserunt, illam cooperit, et consignat alicui Presbytero parato stola, et cotta, seu pluviali, qui illam sub baldachino, si commode fieri potest, praeeuntibus Clericis cum intorticiis, et aliquibus de Clero comitantibus, portat ad locum ubi asservatur SS. Sacramentum.

9. Episcopus se purificat, et abluit digitos, sumit ablutionem, et etiam ex alio Calice primam digitorum ablutionem; et facta reverentia cum genuflexione SS Sacramento, retrahit se extra cornu Epistolae, versa facie ad populum, ubi lavat manus sine mitra: et eundo et redeundo ad Altare, semper usque ad terram genuflectit ante SS. Sacramentum.

10. Tum facta reverentia SS. Sacramento in Altari posito, in secundo gradu Altaris mitram accipit et baculum, et redit ad praedictam sedem pro confectione et benedictione Oleorum Chrismatis, et Catechumenorum cum Ministris suis, et aliis assistentibus, eo ordine, quo praemissum est, Diacono et Subdiacono remanentibus hinc inde apud Altare.

§. VII.

De Confectione et Benedictione Oleorum Chrismatis, et Catechumenorum.

1. Episcopus juxta Mensam cum mitra sedet cum Archidiacono, et Diaconis assistentibus, sedentibus pariter omnibus.

2. Tunc Archidiaconus stans apud Episcopum dicit alta voce in tono lectionis:

Oleum ad Sanctum Chrisma ;

Et mox eadem voce in tono , subjungit :

Oleum Catechumenorum.

3. Quo dicto , oblato Episcopo thuribulo, Episcopus imponit incensum , et benedicit more solito. Tum duodecim Presbyteri , septem Diaconi , et septem Subdiaconi parati praedicti , et alii Ministri quot necessarii fuerint, eo ordine , quo venerunt , pergunt ad Sacrarium ad deferendum cum omni decore et reverentia Oleum Chrismale , et Oleum Catechumenorum , Ministris tamen Episcopi cum eo remanentibus.

4. Incedunt autem redeuntes ad Chorum cum ampullis , hoc ordine.

I. Thuriferarius cum thuribulo fumigante.

II. Subdiaconus Crucem deferens, medius inter duos Acolythos cum cereis ardentibus.

III. Duo Cantores cantantes versus: *O Redemptor.*

IV. Sex Subdiaconi bini , et bini.

V. Quinque Diaconi.

VI. Magister Caeremoniarum.

VII. Subdiaconus portans vasculum cum balsamo.

VIII. Diaconus cum ampulla Olei Chrismalis a dextris, et alius Diaconus cum ampulla Olei Catechumenorum a sinistris , habentes mappulas mundas , sive vela ad collum , quorum extremitates ante pectus

dependent, et tenentes ipsas ampullas sinistris brachiis circumdatas, ac extremitatibus mappularum, quae a dextris dependent, involutas et coopertas; ita tamen ut a medio supra videri possint.

IX. Duodecim Presbyteri.

5. Quibus sic a Sacristia versus Episcopum procedentibus, duo Cantores praedicti cantant versus sequentes. *O Redemptor etc.*

6. Et Chorus idem replicat. Deinde dicti duo Cantores prosequuntur sequentes versus: *Audi judex etc.* cum reliquis ut in Pontificali.

7. Eis igitur, ordine praemisso, in Presbyterium Ecclesiae cantando versus praemissos pervenientibus, Crux cum candelabris et incenso situatur prope Altare juxta cornu Epistolae. Archidiaconus et Diaconi assistentes ministrantes sint circa Episcopum hinc inde. Sacerdotes vero duodecim parati juxta eos duo cornua faciunt, sex hinc et sex illinc, vertentes faciem ad Altare, a lateribus assistentes Episcopo, tamquam ejus testes, et ministerii Sacri Chrismatis cooperatores. Diaconi vero post tergum Episcopi, et post eos Subdiaconi parati stant, tamquam Ministri, et inspectores.

8. Interim Diaconi ampullas Olei Chrismalis, et Olei Cathecumenorum portantes, et Subdiaconus cum balsamo subsistunt, quousque omues praedicti in suis locis fuerint ordinati.

9. Omnibus itaque dispositis, Diaconus ampullam Olei Chrismalis ferens venit ante Episcopum, et Archidiaconus illam involutam cum mappula, quam Diaconus ipse circa collum portavit, de manu ejus accipiens, eam sic involutam ostendit Episcopo sedenti, et illam super mensam ante Episcopum positam, collocat diligenter, alio Diacono ampullam aliam assidue inter brachia tenente.

10. Tunc Subdiaconus vasculum cum balsamo portans, illud tradit Archidiacono, qui balsamum Episcopo similiter ostendens, ipsum supra mensam collocat.

11. Removetur operculum ex ampulla Chrismali per Caeremoniarium.

12. Tum Episcopus deposita mitra, surgit, et versus ad Altare, habens ante se super mensam ampullam Olei Chrismalis, et balsamum, ante omnia benedicit ipsum balsamum, dicens: *Dominus vobiscum*, et Orationes, ut in Pontificali.

13. Deinde, accepta mitra, stans adhuc Episcopus, miscet super Patenam, vel in aliquo parvo vasculo balsamum cum modico Olei de Ampulla Chrismali sumpti, dicens: *Oremus Dominum Deum etc.*

14. Quo facto sedet Episcopus, retenta mitra, et, expansis manibus super mensam, halat plane

tertio in modum Crucis super os ampullae Chrismalis involutae ante se super mensam stantis.

14. Ampulla sic involuta collocatur ad partem anteriorem mensae.

16. Deinde duodecim Sacerdotes parati, qui juxta eum sunt, ordinatim facientes reverentiam cum genuflexione Sacramento in Altari posito, et Episcopo, ad mensam praedictam accedunt, et stantes ante eam singuli successive eodem modo, ut Episcopus fecerat, in modum Crucis super os ampullae praedictae halant. Tum reverentiam cum genuflexione, ut supra, facientes, ad loca sua revertuntur.

17. Post haec iterum ampulla collocatur ante Episcopum.

18. Quo facto, surgit Episcopus, et stans cum mitra, legendo dicit Exorcismum Chrismalem, absolute dicens: *Exorcizo te etc.*

19. Deinde deposita mitra, extensis manibus ante pectus, dicit Praefationem, quam concludit legendo, ita tamen ut a circumstantibus audiri possit.

20. Praefatione hujusmodi finita, Episcopus balsamum cum illo modico Oleo ex ampulla Chrismali sumpto mixtum, commiscet Sancto Chrismati, reponens ipsum in ampullam Chrismalem, et dicens: *Haec commixtio liquorum etc.*

21. Tum Diaconus, qui ampullam Chrismalem de Sacristia portavit, deponit mappulam, sive velum de ipsa ampulla, dimissa ei sua serica veste alba, quam antea habebat, et Episcopus capite inclinato salutat Chrisma, dicens: *Ave Sanctum Chrisma.* Et hoc secundo, et tertio facit, semper altius dicendo; quod postquam tertio dixerit, osculatur labium ampullae: quo facto, sedet Episcopus, et accipit mitram.

22. Tum singuli duodecim Sacerdotes parati praedicti accedunt successive per ordinem ad mensam, supra quam posita est ampulla Chrismatis et factis reverentiis cum genuflexione Sacramento in Altari posito, et Episcopo, tertio in varia distantia genuflectunt coram ampulla, qualibet vice semper altius dicendo in tono praedicto. *Ave Sanctum Chrisma.* Quo tertio dicto, labium ampullae reverenter osculantur, et ad sua loca revertuntur.

23. Quo peracto ampulla in uno latere mensae praedictae collocatur. Et mox Diaconus aliam ampullam sua veste coopertam cum Oleo Catechumenorum ferens, accedit ad praesentiam Episcopi, et ampullam ipsam sine mappula, quam Diaconus ipse circa collum retinet, tradit Archidiacono, qui illam suscipiens, eam ostendit Epi-

scopo, et collocat supra mensam praedictam, in medio ante Episcopum.

24. Interim removetur operculum ex ampulla per Caeremoniarium, super quam ampullam statim tam ipse Episcopus, quam etiam duodecim Presbyteri praedicti halant, prout supra de ampulla Chrismatis factum est. *N.* 14, 15 *et* 16.

25. Quo facto Episcopus surgens cum mitra, submissa voce legendo absolute Exorcismum Olei Catechumenorum, dicit: *Exorcizo te etc.*

26. Deinde deposita mitra, Episcopus stans benedicit dictum Oleum Catechumenorum eadem voce dicens: *Dominus vobiscum*, et Orationem.

27. Deinde Episcopus, et successive duodecim Sacerdotes praedicti reverenter salutant Oleum ipsum, dicentes tertio in tono lectionis: *Ave Sanctum Oleum.*

Et postquam tertio id fecerint, osculantur os ipsius ampullae, prout supra de Chrismate positum est. N. 21 et 22.

28. His itaque peractis, ambae Ampullae per dictos duos Diaconos, eo ordine et decore, quo delatae fuerunt, ad Sacrarium processionaliter reportantur. Interim dum reportantur, duo praemissi Cantores cantant hos versus: *Ut novetur etc.* Choro respondente: *O Redemptor* cum reliquis, ut in Pontificali.

29. Vetus autem Chrisma, et Oleum Catechumenorum, ac Infirmorum, si quod remanserat in ampullis ponitur in lampadibus Ecclesiae ante Sacramentum, ut comburatur. Reliquum autem, quod est in Pyxidibus, sive capsulis cum bombyce, igni comburitur; et novum deinde cum novo bombyce in pyxidibus, sive capsulis imponitur.

30. Interim dum Chrisma, et Oleum Catechumenorum ad Sacristiam portatur, Episcopus sedens cum mitra, lavat manus.

§. VIII.

De prosecutione Missae usque ad Processionem SS. Sacramenti ad Sacellum exclusive.

1. Episcopus lotis manibus redit ad Altare, et interim Chorus cantat Communionem.

2. Episcopus ante gradus Altaris deponit mitram, genuflectit in plano, ascendit ad Altare, osculatur illud, iterum genuflectit, accedit ad cornu Epistolae, et legit Communionem.

3. Interim amoventur Mensa, Sedes, et Scabella e medio Chori.

4. Episcopus prosequitur Missam: et eundo et redeundo ad Altare, semper usque ad terram ge-

nuflectit ante SS. Sacramentum: et vertit se ad Populum dicturus *Dominus vobiscum*, non utique in medio Altaris, ne vertat renes Sacramento, sed in latere Evangelii.

5. Dicto *Ite Missa est*, Episcopus sine mitra stans in latere Evangelii, et non perficiens circulum, dabit Benedictionem sollemnem, sed Indulgentiae publicabuntur in loco ubi reponitur SS. Sacramentum.

6. Cum Episcopus, post Missam, dicturus erit Evangelium *In Principio erat Verbum etc.* nullum signum faciet super Altare, ut alias; in quo ad verba: *Et Verbum caro factum est*, genuflectit versus Sacramentum.

7. Episcopus iterum genuflectit in medio, et descendens suppedaneum in secundo gradu accipit mitram, et baculum, et accedit ad suam Sedem cum Diaconis assistentibus, et Diaconus et Subdiaconus Missae ad sua scabella, ubi deponunt manipulos.

8. Episcopus sedet cum mitra, et alloquens Canonicum Sacristam, sive alium (cujus est Oleorum sacrorum custodia, et distributio) monet eum secundum formam Pontificalis Romani, dicens:

» Frater dilectissime, jubeo te, ut moneas Pre-
» sbyteros attente, ut juxta Canonum traditionem
» Chrisma, et Olea fideliter custodiant, et nulli

» sub praetextu medicinae vel maleficii trad
» praesumant; alioquin honore priventur «.

9. Completa monitione, Episcopus, non re dentibus Diaconis assistentibus, per manus I coni et Subdiaconi deponit sacras vestes usque Stolam exclusive, et accipit pluviale album, ctorale et mitram.

10. Interim alter Subdiaconus accipit Cruc velatam velo violaceo, Acolythi sua candelal cum cereis accensis; octo vel sex parati Pluv libus, capiunt hastas baldachini; caeteri par dimittunt manipulos, adjuvantibus Acolythis, disponitur Processio, ut infra.

§. IX.

De Processione SS. Sacramenti ad Sacellum

1. Episcopus, accepto pluviali, et mitra, sta ponit incensum in duo thuribula absque bene ctione, et sine osculo manus Episcopi, mi strante Presbytero assistente, ut alias, recede bus Diacono et Subdiacono in Secretarium deponendis albis, et sumendis paramentis su rocchettum; deinde inter aliis Canonicos in Chc

2. Quo facto redit ad Altare, ubi, nudo pite, genuflexus super pulvino, accepto alterc

dictis duobus thuribulis ab assistente Presbytero, incensat SS. Sacramentum triplici ductu, tum imponitur super ejus humeros velum, et firmatur spinulis: et Diaconus assistens, et non alius, cum debitis reverentiis capit SS. Sacramentum de Altari, et illud, stans, offert Episcopo genuflexo, sine reverentia versus Episcopum, et sine osculo. Sed postquam illud in manibus Episcopi reliquit, genuflectit.

3. Episcopus vero cum Sacramento surgit, et statim Cantores incipiunt Hymnum *Pange lingua gloriosi etc.* Ministri assistentes hinc inde elevant fimbrias anteriores pluvialis.

4. Caeremoniarius vero, vel aliquis Cappellanus, dum Episcopus ascendit et descendit per gradus, elevat extremitatem vestis interioris a parte anteriori, et nobilior laicus, vel alius, juxta consuetudinem loci, qui adest, sublevat pluviale a posteriori parte.

5. Omnes interim per navem principalem Ecclesiae, procedunt hoc ordine:

I. Familiares Episcopi cum Scutiferis hinc inde.

II. Mazzerius.

III. Subdiaconus paratus cum Cruce inter Ceroferarios.

IV. Clerici Seminarii, et alii.

V. Mansionarii.

VI. Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri parati bini.

VII. Canonici, inter quos Presbyter assistens: omnes cum intorticiis.

VIII. Minister cum Pastorali.

IX. Thuriferarii duo.

X. Episcopus intrat sub baldachinum portans SS. Sacramentum devote inter Diaconos assistentes.

XI. Ministri pro mitra, libro et bugia.

XII. Vicarius Generalis et Protonotarii.

6. Cum pervenerint ad Sacellum, ubi Sacramentum deponi debet, relinquitur extra illud baldachinum, et Cantores in cantu pio et devoto, cantant *O salutaris Hostia etc.* vel *Tantum ergo Sacramentum etc.* donec Sacramentum fuerit per Episcopum repositum, et incensatum.

7. Cum Episcopus erit ante supremum gradum Altaris, Diaconus accipiet de manu ipsius stantis SS. Sacramentum, genuflexus, sine osculo manus, quod deponet super Altare in loco praeparato, cooperiens velo undique Calicem: et interim Episcopus paullo retrocedens, stans, imponet incensum in altero ex thuribulis, et rursus genuflexus, Sacramentum incensabit triplici ductu; et clauso ostiolo per Diaconum assistentem, Episcopus ascen-

dens Altare, eodemque cum genuflexione deosculato, dabit Benedictionem sollemnem, stans sine mitra in latere Evangelii, accepto baculo Pastorali dum dicit *Pater et Filius etc.* et Presbyter assistens tunc publicabit Indulgentias quadraginta dierum more solito.

8. Interim a propria Cappella Sacramenti ad oratorium secretum transfertur Pyxis cum particulis per Mansionarium Sacristam, stola alba indutum, et cum velo humerali, inservientibus duobus Acolythis cum luminibus, et altero pro velo etc., et ibi asservatur cum debito decore, sed secreto usque ad Sabbatum Sanctum.

9. Canonicorum Cappae in sedilibus distribuuntur.

§. X.

De regressu processionis.

1. Omnes postquam ante SS. Sacramentum aliquantulum oraverint, surgunt, et eodem ritu processionali redeunt ad Altare.

2. Demum Episcopus surgit, genuflectit in plano; et extra cancellos accipit mitram, et baculum.

3. Episcopus redit ad sedem, ubi per Diaco-

nos assistentes deponit sacras vestes, quae deferuntur in secretarium, et accipit cappam pro vesperis, et sedet, sedentibus omnibus, ac deponit sandalia per Cappellanum cum velo violaceo.

4. Canonici pariter deponunt paramenta, et accipiunt cappas in locis suis.

5. Omnes parati in reditu processionis cum debitis genuflexionibus Altari, et Episcopo ad aulam majorem et minorem paramentorum respective pro dimissione paramentorum: et illico in habitu eorum chorali ad chorum, aut presbyterium.

§. XI.

De Vesperis.

1. Detecto capite, surgunt omnes, et dicitur secreto: *Pater noster*, et *Ave Maria*.

2. Incipiuntur Vesperae absolute ab Antiphona: *Calicem salutaris etc.* qua integre completa, et incepto Psalmo, omnes sedent.

3. Psalmi alternatim dicuntur demissa voce, et sine cantu.

4. Ad *Magnificat* surgunt omnes; Episcopus autem, dum repetitur Antiphona post *Magnificat*, descendit a sede, et dum inchoatur *Christus factus est etc.* genuflectit super faldistorio

praeparato ante Altare, omnibus genuflectentibus, et postea Chorus incipit sub silentio *Pater noster*, mox Psalmum *Miserere mei Deus etc.*

5. Quo finito Episcopus genuflexus, ac capite aliquantulum inclinato, vel ex libro, vel memoriter recitat clara voce orationem *Respice quaesumus etc.* usque ad *qui tecum* exclusive, quod secreto complet.

§. XII.

De Altarium denudatione.

1. Vesperis expletis, surgit Episcopus a faldistorio, et accedit ante Altare cum omnibus Canonicis, et Mansionariis, ubi Episcopus manet in medio; Canonici se disponunt in gyrum, seniores a cornu Evangelii, Mansionarii autem in alium gyrum post Canonicos pari ordine (1).

2. Interim Episcopus explicat cappam, et facta reverentia Altari, intonat Antiphonam *Diviserunt*, quam Chorus prosequitur cum Psalmo 21. *Deus, Deus meus, respice in me etc.* et in fine repetitur Antiphona.

---

(1) *Memor. Rit. Maj. Hebd. Tit. VI. Cap. II. §. XIII. de Altar. denudatione.*

3. Episcopus, intonata Antiphona, solus ascendit ad Altare, et amovet tobaleas, et per breviorem descendit ad planum cornu Evangelii in capite gyri Canonicorum; et omnes tunc prosequuntur alternatim Psalmum, unus gyrus cum altero.

4. Interim:

I. Duo Acolythi recipiunt tobaleas amotas ab Episcopo.

II. Duo alii extinguunt candelas.

III. Duo alii amovent pallium.

IV. Duo alii amovent vasa cum floribus.

V. Quatuor alii tapete Altaris.

VI. Sex alii denudant sedem Episcopalem.

VII. Duo alii sedes Canonicorum.

VIII. Duo alii deferunt in Presbyterium ante Altare faldistorium nudum cum duobus pulvinaribus violaceis.

IX. Alii Acolythi bini pro singulis Altaribus minoribus denudandis.

5. Repetita Antiphona, Episcopus genuflectit ad faldistorium, caeteri in gyris suis, et crotalo datur signum salutationis Angelicae.

6. Surgunt postea omnes, et adorant unico genu Crucem, (*quae ex nunc per hoc triduum usque ad Nonam Sabbati Sancti inclusive, cum genuflexione adoratur ab omnibus transeuntibus ante illam*).

7. Deinde modeste recedunt cum silentio ad Mandatum.

§. XIII.

De Mandato faciendo.

1. Dum dicuntur Vesperae, Diaconus et Subdiaconus, qui in Missa ministrarunt, in aula majori paramentorum, sumunt sua paramenta alba, quibus, praeter manipulos, parati erunt antequam Episcopus ad Mandati locum accedat, praesentibus etiam Canonicis, et Cappellano cum Cruce Archiepiscopali, si celebrans erit Archiepiscopus, ibique parati sint pauperes, quibus lavandi sunt pedes.

2. Sed quia circa hoc diversi sunt ritus Ecclesiarum; alicubi enim in usu est, vestire sumptibus Episcopi, vel Capituli tredecim pauperes, eosdemque cibo et potu reficere, et mox suo tempore eisdem pedes lavare, et eleemosynam praebere; alibi Episcopi lavant pedes tredecim ex suis Canonicis; ideo relinquetur hoc faciendum juxta consuetudinem Ecclesiarum, vel arbitrio Episcopi, si maluerit pauperibus lavare, etiam in locis ubi sit consuetudo lavandi Canonicis; videtur enim eo pacto majorem humilitatem, et carita-

tem praeseferre, quam lavare pedes Canonicis.

3. Hora competenti Episcopus accedit ad eumdem locum praeparatum pro Mandato, et ascendit ad sedem cum duobus Diaconis assistentibus: caeteri Canonici in propriis locis, et pauperes in suis sedilibus; (et Cappellanus cum Cruce Archiepiscopali, si celebrans erit Archiepiscopus).

4. Episcopus, deposita cappa, sumit per Diaconum et Subdiaconum (non recedentibus Diaconis assistentibus) amictum, albam, cingulum violaceum, crucem pectoralem, stolam, et pluviale violacei coloris, pectorale, et mitram simplicem, et accedit Minister cum Pastorali.

5. Diaconus deinde, et Subdiaconus ad propria scabella, et manipulos accipiunt.

6. Diaconus ad Episcopum pro osculo manus.

7. Tunc Acolythus cum thuribulo, et navicula ad eum accedet; et Episcopus, ministrante Presbytero assistente naviculam, imponit incensum in thuribulo, et benedicit more solito.

8. Quo facto, Diaconus, ut supra, gerens ante pectus Librum Evangeliorum, accedit cum Subdiacono, et duobus ceroferariis ante Episcopum, a quo genuflexus, si non est Canonicus, simul cum aliis jam dictis, petit benedictionem, dicens: *Jube Domine etc.*, cui Episcopus respondet: *Dominus sit in corde tuo etc.*

9 Diaconus, benedictione accepta, surgit cum comministris suis, accedit ad locum Evangelii cantandi, et posito libro Evangeliorum super legili, quem Subdiaconus a tergo ambabus manibus retinet; et si erit Archiepiscopus, Cappellanus Crucem tenens, stabit prope ipsum Diaconum, facie Crucifixi versa ad Archiepiscopum. Duo Ceroferarii stabunt hinc inde a lateribus legilis, faciebus ad Diaconum cantantem versis.

10. Tunc Diaconus dicit cantando: *Dominus vobiscum*; signat, incensat, et more solito cantat Evangelium: *Ante diem festum Paschae etc.*

11. Quo finito, Subdiaconus portat librum Evangeliorum apertum, osculandum Episcopo, nullam ei reverentiam faciens, nisi post Evangelium deosculatum.

12. Acolythi ceroferarii, factis debitis reverentiis, reportant tunc candelabra ad abacum, et amovetur legile.

13. Diaconus capto thuribulo de manu Thuriferarii, incensat Episcopum, stantem in sua sede cum suis solitis assistentibus hinc inde, triplici ductu; mox recedit cum Subdiacono ad partem; et Cantores tunc incipiunt, et prosequuntur Antiphonam: *Mandatum novum do vobis etc.* prout in Missali.

14. Episcopus deponit Pluviale per manus Diaconorum, et accipit linteum ex abaco allatum per aliquem Cappellanum, quo praeciugitur; et retinens in capite mitram simplicem, accedit cum Diaconis assistentibus, ante primum pauperem, et genuflexus super pulvino, quem Caeremoniarius, sive aliquis Cappellanus continuo trahit, afferentibus pelves et urceos scutiferis, clericali habitu indutis, lavat illi pedem dexterum, quem lotum tergit, et osculatur, tradens ei eleemosynam: idem facit successive singulis. Scutiferi autem si tot erunt, singuli pro singulis pauperibus serviunt; si pauciores, mutantur per vices.

15. Lotis omnibus, revertitur Episcopus ad sedem suam, ubi lavat manus, scutifero altero, seu nobili ante eum lancem cum urceo portante cum solitis caeremoniis.

16. Et illico adsunt duo Ceroferarii cum candelabris, et cereis accensis, Caeremoniario eos ducente ante Episcopum, qui deposito linteo, et accepto pluviali, ac deposita mitra, surgit, et dicit voce intelligibili *Pater noster* quod secreto complet usque ad versiculum *Et ne nos etc.* quem alte pronuntiat, respondentibus Cantoribus: *Sed libera nos a malo*: deinde versiculos, et Orationem, prout in Missali.

17. Quibus finitis, Episcopus alte elevans manum, facit signum Crucis versus omnes existentes in dicta Aula, nihil dicens; et statim deponit sua paramenta per Diaconum, et Subdiaconum, non recedentibus Diaconis assistentibus.

18. Discedunt Diaconus et Subdiaconus, et comitantibus Acolythis, in Aula paramentorum exuuntur.

19. Episcopus accipit non solum mozzettam, sed etiam ante illam mantelletum, (*quod servatur hoc triduo, quoties non habet Cappam, vel paramenta*), et procedit ad coenam pauperum.

20. Omnes Canoniei, et alii de Clero solita modestia discedunt.

21. Episcopus benedicit Mensam, ut in Breviario hac die, et ministrat pauperibus, et dum coenatur habebitur Sermo per unum ex Clericis Seminarii.

CAPUT III.

DE RECONCILIATIONE POENITENTIUM.

MONITUM.

Quod pluribus hic de Poenitentium publica reconciliatione memoratur, nullius usus et roboris impraesentiarum esse, superius probatum est. *Vide in Feria IV. Cinerum Tit. II. Cap. V.*

§. I.

De Praeparandis.

In Secretario.

1. Super paramenta missalia albi coloris disposita super Altari apponantur:

Mitra simplex, pectorale, pluviale, et stola coloris violacei, crux pectoralis, cingulus albi coloris, alba, amictus: omnia cooperta velo violaceo.

In Aula minori paramentorum.

1. Pluviale violaceum pro Archipresbytero.
2. Stola violacea pro Archidiacono.
3. Stola, et dalmatica violacei coloris pro primo ex Diaconis.

4. Stola violacea pro Diacono Episcopi.

Item pro Missa, reconciliatione absoluta.

1. Pluvialia duo albi coloris pro Archidiacono, et Archipresbytero.
2. Dalmaticae duae pro Diaconis assistentibus, ac tres aliae pro tribus aliis Diaconis.
3. Tunicellae num. duae pro Subdiaconis.

In Presbyterio, et Choro.

1. Quatuor scabella a dextris, et quinque a sinistris genuflexorii Episcopalis, locata in medio Presbyterii, et disposita in semicirculum.
2. Pontificale, et Breviaria pro Psalmis poenitentialibus, et Litaniis.

In Abaco Altaris Majoris.

1. Candelae cerae albae num. duae.
2. Cereus magnus.
3. Vas aquae benedictae cum aspersorio.

In medio Ecclesiae.

1. Suppedaneum coopertum tapete.
2. Faldistorium, super eo, cum veste, et pulvinaribus violaceis.
3. Quatuor scabella a dextris Faldistorii.
4. Quinque alia a sinistris in semicirculum.

5. Sedilia pannis viridibus cooperta pro Canonicis hinc inde versus januam Ecclesiae.

6. Sedilia pro Mansionariis in fine sedilium canonicalium, facie versa ad faldistorium.

7. Sedilia pro Clericis retro sedilia canonicalia.

8. Scabellum pro Crucifero.

9. Per ligneus pro Cruce.

10. Legile cum tertia parte Libri Pontificalis pro schola.

11. Foculus cum igne, et forcipe in loco congruo.

Prope Januam Ecclesiae.

1. Tapete stratum.
2. Legile cum parte tertia Libri Pontificalis.
3. Candelae juxta numerum poenitentium.
4. Aliud faldistorium tectum violaceis.
5. Scabella num. novem.

§. II.

De praemittendis in Secretario pro reconciliatione Poenitentium, et de accessu ad Altare pro Psalmis poenitentialibus, et Litaniis.

1. Episcopus post Sextam ad Secretarium, ubi incepta Nona, accipit Sandalia albi coloris, re-

citat Psalmos etc. , et in fine Nonae genuflectit ad *Christus factus est* , et ad Psal. *Miserere* , et ad Orationem *Respice* , quam ipse dicit , ut in hoc *Tit. VIII. Cap. II.* §. *I.* per totum.

2. Dum dicitur Nona , Diaconus , qui erit secundus in ordine, et Subdiaconus alius a Subdiacono Missae in aula minori accipiunt paramenta pro reconciliatione.

3. Completa Nona , dum Episcopus accedit ad sedem cum Diaconis , et Presbytero assistentibus, Ministri , scilicet , Diaconus , et Subdiaconus in albis ex aula minori paramentorum in Secretarium, et ad propria scabella.

4. Episcopus , accedentibus Ministris de libro , et candela in habitu chorali , exuitur cappa , et lavat manus.

5. Diaconus , et Subdiaconus , sequentibus Acolythis cum paramentis ad Episcopum.

6. Recedunt ab Episcopo , lotis ejusdem manibus , Presbyter, et Diaconi assistentes; et illico ad aulam minorem praedictam pro paramentis Archidiaconus, Archipresbyter , primus Diaconus , ac quatuor ex novissimis Canonicis ; sed cum eis non accedant Diaconus , et Subdiaconus ministraturi in Missa.

7. Episcopus paratur amictu , alba , cingulo albi

coloris, cruce pectorali, stola, et pluviali coloris violacei, pectorali, ac mitra simplici, et accedit Minister cum Pastorali in habitu chorali, prout ceteri ministri.

8. Eodem tempore in dicta aula minori paratur.

I. Archipresbyter amictu, et pluviali coloris violacei.

II. Archidiaconus amictu, alba, cingulo, et stola Diaconali coloris violacei.

III. Antiquior, scilicet primus Diaconorum induatur sollemniter, nempe amictu, alba, cingulo, stola, et dalmatica violacei coloris.

IV. Quatuor ex novissimis Canonicis pro quatuor Subdiaconis sumunt amictum, albam, et cingulum.

9. Supradicti septem parati e dicta aula ad Secretarium, et factis debitis reverentiis, sedebunt supra Canonicos non paratos, et in primo loco Archipresbyter, quia pluviali indutus.

10. Parato Episcopo, Diaconus et Subdiaconus sedent a lateribus ejusdem.

11. Interim poenitentes induti cilicio, nudis pedibus, atque candelas extinctas tenentes, accedunt ante fores Ecclesiae.

12. Episcopus procedit cum Ministris paratis, et toto Clero e Secretario ante Altare majus hoc ordine.

I. Caeremoniarius.

II. Clerici Seminarii cum aliis.

III. Mansionarii.

IV. Familiares Episcopi cum scutiferis hinc inde.

V. Mazzerius.

VI. Cruciferarius cotta indutus cum Cruce inter ceroferarios.

VII. Canonici omnes non parati ordine eorum.

VIII. Duo Subdiaconi juniores parati in albis, ut supra.

IX. Duo alii Subdiaconi seniores item parati in albis.

X. Archipresbyter cum pluviali medius inter Archidiaconum stola, et primum Diaconum dalmatica paratos, ut supra.

XI. Minister cum Pastorali.

XII. Episcopus inter Diaconum et Subdiaconum in albis.

XIII. Ministri de mitra, libro, et bugiá.

13. Ad Altare omnes se componunt in propriis locis, ut infra:

I. Clerici, Mansionarii, et Canonici non parati in Presbyterio, et Choro respective.

II. Cruciferarius, ut alias, deponit Crucem in loco solito, Ceroferarii ad credentiam.

III. Quatuor Subdiaconi ad sinistram genuflexorii Episcopalis.

IV. Archipresbyter, Archidiaconus, et primus Diaconus ad dexteram dicti genuflexorii.

V. Episcopus habens Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris procumbit ante Altare majus super genuflexorio.

VI. Omnes supradicti parati, semicirculum una cum Episcopo efformantes ante Altare, genuflectunt, et procumbunt super scabella.

14. Episcopus genuflexus deponit mitram, et orat, omnibus de Clero, Choro, et populo genuflectentibus.

15. Poenitentes, ut supra, prosternunt se ante dictas fores Ecclesiae.

§. III.

De recitatione Psalmorum poenitentialium, et Litaniis.

1. Episcopus genuflexus sine mitra, ut supra, dicit sine cantu: *Ne reminiscaris*: deinde accipit mitram.

2. Schola statim per unum ex Cantoribus incipit Ps. *Domine ne in furore tuo etc.* quem cum reliquis Psalmis poenitentialibus Episcopus cum praedictis ministris et Clero genuflexo alternatim prosequitur sine nota.

3. Completis Psalmis schola repetit Antiph. *Ne reminiscaris etc.*

4. Repetita Ant. Episcopus inchoat sine cantu Litanias, quae duplicantur.

5. Acolythi interim accendunt duas candelas defereudas, ut infra.

6. Cum in Litaniis dictum fuerit: *Omnes Sancti Patriarchae, et Prophetae, Orate pro nobis:* et idem a Choro fuerit responsum, paulisper subsistitur.

7. Episcopus mittit duos juniores Subdiaconos ad Poenitentes, dicens haec, vel similia verba: *Duo juniores Subdiaconi accedant ad poenitentes.*

8. Duo juniores Subdiaconi accipiunt ab Acolythis candelas accensas, ut supra, surgunt, et facta reverentia Altari, et Episcopo, praecedentibus duobus Acolythis, accedunt ad limen ostii, ubi jacent poenitentes.

9. Supradicti Subdiaconi stantes in limine ostii, elevatis manibus ostendunt poenitentibus candelas accensas, et ex Pontificali collocato super legili cantant Antiph. *Vivo ego etc.*

10. Cantata Antiph. iidem Subdiaconi extinguunt candelas coram Poenitentibus, et tradunt eas Acolythis, et revertuntur ad priorem locum a sinistris Episcopi, ubi iterum procumbunt.

11. Extinctis, ut supra, candelis, Episcopus resumit Litanias a verbis: *Sancte Petre*: et prosequitur usque ad verba: *Omnes Sancti Martyres ec.*

12. Responso per Chorum: *Omnes Sancti Martyres, Orate pro nobis*, subsistitur secundo a Litaniis.

13. Episcopus mittit duos alios Subdiaconos, scilicet seniores ad Poenitentes, dicens: *Duo seniores Subdiaconi accedant ad Poenitentes.*

14. Duo seniores Subdiaconi accipiunt et ipsi candelas accensas, et accedunt ad Poenitentes, et stantes in limine ostii ostendunt candelas Poenitentibus, cantant Antiph. *Dicit Dominus etc.* deinde extinguunt candelas coram Poenitentibus, et revertuntur ad proprium locum.

15. Extinctis, ut supra, candelis, Episcopus resumit Litanias a verbis: *Sancte Sylvester*, et prosequitur usque ad *Agnus Dei*, exclusive.

16. Responso a Choro *Fili Dei Te rogamus etc.* subsistitur tertio a Litaniis.

17. Episcopus mittit senem, idest primum Diaconum indutum Dalmatica ad Poenitentes, dicens: *Diaconus accedat ad Poenitentes.*

18. Senex Diaconus accipit magnum Cereum accensum, accedit ad Poenitentes, et stans in dicto limine ostii, cantat Antiph. *Levate etc.*

19. Poenitentes, dum haec cantantur, surgunt a prostratione, sed remanent genuflexi.

20. Acolythi accendunt candelas Poenitentium ex Cereo Diaconi.

21. Diaconus cum cereo accenso revertitur ad locum suum a dextris Episcopi, ubi tradit cereum Acolytho, et procumbit, ut prius.

22. Episcopus resumit Litanias a verbis: *Agnus Dei*, easque prosequitur usque ad finem.

§. IV.

De accessu ad medium Ecclesiae.

1. Absolutis Litaniis, omnes, exceptis Poenitentibus, successive surgunt, et procedunt ad locum paratum quasi in medio Ecclesiae hoc ordine.

1. Ostiarii:

2. Caeremoniarius:

3. Clerici:

4. Mansionarii:

5. Familiares Episcopi cum Scutiferis hinc inde:

6. Mazzerius:

7. Thuriferarius cum thuribulo, et Acolythus cum vase aquae benedictae a dextris ejus:

8. Cruciferarius cum Cruce inter Ceroferarios:

9. Canonici omnes non parati ordine eorum:

10. Duo juniores Subdiaconi parati, ut supra:

11. Duo alii seniores Subdiaconi item parati:

12. Archipresbyter cum pluviali medius inter Archidiaconum, et primum Diaconum ut supra, paratos:

13. Minister cum Pastorali:

14. Episcopus inter Diaconum et Subdiaconum:

15. Ministri de libro, bugia, et mitra.

2. Ostiarii, et Clerici omnes se collocant in propriis scamnis hinc inde retro sedilia Canonicorum.

3. Mansionarii in propriis locis in fine sedilium Canonicorum, et apud Legile pro schola.

4. Mazzerius, Thuriferarius, Acolythus cum vase aquae benedictae, et Cruciferarius cum Ceroferariis se disponunt in semicirculum in fine dexteri sedilis Canonicalis, ne Episcopum ostium respicientem impediant.

5. Canonici omnes per duos choros ab utroque latere Faldistorii disponuntur seriatim versus januam Ecclesiae.

6. Quatuor Subdiaconi in propriis scabellis ad sinistram Faldistorii.

7. Archipresbyter cum Archidiacono, et primo Diacono ad dexteram praedicti Faldistorii.

8. Episcopus in Faldistorio locato quasi in medio Ecclesiae in capite sedilium Canonicalium, et sedet januam Ecclesiae respiciens.

9. Diaconus et Subdiaconus Episcopi a dextris et a sinistris ejusdem semicirculum cum antedictis Comministris paratis faciunt, et sedent, sedentibus omnibus.

10. Archidiaconus, facta Episcopo reverentia, comitante Caeremoniario, accedit ad limen ostii, et stans versus Poenitentes, alta voce in tono lectionis dicit: *State in silentio audientes audite.*

11. Deinde vertens se ad Episcopum, praemissa eidem reverentia, stans in latere ostii ad dexteram ingredientis ex libro super legili locato dicit similiter in tono lectionis: *Adest, o venerabilis Pontifex etc.*

12. Archidiaconus, completa supplicatione, repetita reverentia, accedit ad aliud latus ostii, ad sinistram scilicet ingredientis, Episcopum advenientem expectans.

13. Collocatur aliud Faldistorium in medio ostii, et circa idem aptantur scabella numero novem, et amovetur antedictum legile.

§. V.

De Poenitentium in Ecclesiam Reductione.

1. Absoluta, ut supra, supplicatione, remanentibus in locis antedictis Canonicis non paratis, ac reliquis de Clero, Episcopus cum sequentibus Ministris accedit ad ostium Ecclesiae hoc ordine:

I. Caeremoniarius:

II. Mazzerius:

III. Thuriferarius cum Acolytho de aqua benedicta:

IV. Cruciferarius inter Ceroferarios:

V. Quatuor Subdiaconi bini:

VI. Archipresbyter ad dexteram primi Diaconi:

VII. Minister de Pastorali:

VIII. Episcopus inter Diaconum et Subdiaconum:

IX. Ministri de mitra, libro, et bugia:

2. Cruciferarius cum Mazzerio, et Acolythis comministris egreditur Ecclesiam, et se sistit e conspectu ostii.

3. Episcopus sedet in Faldistorio in medio ostii cum Ministris paratis a dextris et a sinistris suis, ut sup. §. 4. *n.* 6. 7. *et* 8.

4. Episcopus facit brevem exhortationem Poenitentibus, ut in Pontificali.

5. Deinde accedentibus Ministris de libro, et

bugia, surgentibus omnibus Ministris paratis, vocat Poenitentes cantans mediocri voce integram Antiphonam *Venite*, *venite*, *venite filii etc.*

6. Dum Episcopus cantat supradictam Antiphonam, Poenitentes surgunt, et primus Diaconus dalmatica indutus accedit prope Poenitentes, nempe ad sinistram eorumdem.

7. Completa Antiphona, primus Diaconus, qui, ut supra, accessit prope Poenitentes, stans dicit ex parte Poenitentium: *Flectamus genua*: Poenitentes genuflectunt, Diaconus Episcopi respondet: *Levate*, et Poenitentes surgunt.

8. Episcopus vocat secundo Poenitentes, cantans (1) alta voce: *Venite* etc. ut supra: primus Diaconus ex parte Poenitentium dicit: *Flectamus genua*: Poenitentes genuflectunt; Diaconus Episcopi respondet: *Levate*, et Poenitentes surgunt.

9. Episcopus tertio vocat Poenitentes, cantans altiori adhuc voce: *Venite etc.* ut prius: primus Diaconus ex parte Poenitentium dicit: *Flectamus genua*: Poenitentes genuflectunt; Diaconus Episcopi respondet: *Levate*, et Poenitentes surgunt.

10. Episcopus surgit, et retracto aliquantulum Faldistorio, ingreditur cum suis Ministris Eccle-

---

(1) *Pont. Rom. in Consecr. virgi.*

siam, et distans ab ostio illius spatio convenienti sedet.

11. Archidiaconus inchoat Antiphonam: *Accedite ad eum*: quam Schola prosequitur cum Psalmo *Benedicam etc.*

12. Incaepta Antiphona, Poenitentes ducti a primo Diacono ingrediuntur intra ostium Ecclesiae, et corruunt ad pedes Episcopi, et sic prostrati permanent, quousque eis dicatur: *Levate.*

13. Primus Diaconus revertitur ad locum suum post Archidiaconum, et Cruciferarius cum suis Comministris accedit, et sistit in limine ostii.

14. Chorus, et Episcopus cum suis Ministris paratis sedentibus, alternatim prosequuntur dictum Psal. in cujus fine non dicitur *Gloria Patri*, sed repetitur Antiphona ut alias.

15. Repetita Antiphona, Archipresbyter accedens quasi ad sinistram Poenitentium versus ad Episcopum, stans dicit in tono lectionis: *Redintegra in eis Apostolice Pontifex etc.*

16. Episcopus interrogat eumdem, dicens: *Scis illos etc.*

17. Archipresbyter respondet: *Scio et testificor etc.*

18. Diaconus Episcopi dicit: *Levate*; et Poenitentes surgunt a prostratione, et stant.

19. Episcopus surgit et accipit sinistra sua primum ex Poenitentibus per manum (*a*) dexteram, in qua hic candelam accensam tenet, et primus Poenitens accipit similiter sinistra sua secundum Poenitentem per manum pariter dexteram: et sic secundus tertium etc. successive.

20. Archipresbyter stans in loco, quo supra, et versus ad Episcopum tenentem, ut dictum est, Poenitentes per manum, dicit alta voce:

℣. *Iniquitates meas ego cognosco.*

℟. *Et peccatum meum contra me est semper.*

℣. *Averte faciem tuam a peccatis meis*

℟. *Et omnes iniquitates meas dele.*

℣. *Redde mihi laetitiam salutaris tui*

℟. *Et spiritu principali confirma me.*

21. Completis versiculis, ut supra, Episcopus, adhuc tenens Poenitentes per manum, incboat Antiphonam: *Dico vobis*: quam schola prosequitur.

22. Interim amoventur Faldistorium, et scabella.

23. Completa Antiphona, omnes processionali ritu revertuntur ad locum, ut supra, in medio Ecclesiae praeparatum.

24. Episcopus trahit per manum Poenitentes usque ad suppedaneum Faldistorii, ante quod Poenitentes genuflectunt.

(a) *Rituale Rom. tit. de Baptismo adulti.*

25. Episcopus ad Faldistorium: Ministri parati in propriis scabellis in semicirculum dispositis: Cruciferarius cum Comministris e regione Faldistorii.

§. VI.

De ipsa reconciliatione.

1. Episcopus stans super suppedaneum Faldistorii, conversus ad Poenitentes genuflexos, inchoat cum mitra Antiphonam: *Oportet te fili gaudere*: quam schola cum cantu, et ipse legens, prosequuntur.

2. Stans, ut supra, cum mitra dicit in modum orationis: *Omnipotens Deus etc.*, sustinente libro Archipresbytero.

3. Deposita mitra, tenens manus apertas ante pectus, subjungit Praefationem, quam concludit legendo.

4. Interim disponuntur similiter in modum semicirculi scabella pro Ministris, qui facie versa ad Altare debent mox procumbere.

5. Conclusa Praefatione, Episcopus sedet, et accipit mitram, deinde facie versa ad Altare procumbit cum Ministris a dextris et a sinistris, ut in Litaniis.

(*Hoc tempore Diaconus et Subdiaconus pro*

Missa in aula minori paramentorum induuntur dalmatica, et tunicella albi coloris).

6. Poenitentes depositis candelis prosternunt se retro Episcopum: Clerus, et Populus genuflectit in propriis locis.

7. Unus ex Cantoribus inchoat Antiphonam: *Cor mundum*, quam schola prosequitur cum Psalmis: *Miserere mei Deus etc.* 50, 55, *et* 56 *in ordine Psalter.* sine *Gloria Patri* in fine.

8. Repetita Antiphona post tertium Psalmum *Miserere* Episcopus deponit mitram, et surgit, surgentibus omnibus, praeter Poenitentes.

9. Episcopus cum Ministris paratis vertit se ad Poenitentes, et accedentibus Ministris de libro, et bugia, ac Archipresbytero, dicit: *Kyrie eleison etc. Pater noster*: *Et ne nos etc.* et subjungit versiculos, et sex orationes, ut in Pontificali.

10. Completa sexta oratione Episcopus sedet, et accipit mitram, et baculum pastoralem.

11. Sedentibus omnibus Episcopus absolvit Poenitentes dicens: *Dominus Jesus Christus etc.*

12. Completa absolutione accedit ad Episcopum Archipresbyter cum Thuriferario, et Acolytho de aqua benedicta.

13. Episcopus imponit, et benedicit incensum de more.

14. Episcopus surgit cum mitra, et ministrato ei aspersorio ab Archipresbytero, dicit: *Exsurgite etc.* versus Poenitentes, (qui illico surgunt a prostratione, sed manent utroque genu flexo), et aspergit, et thurificat eosdem.

15. Episcopus sedet: Archipresbyter, et Acolythi ad proprium locum, et omnes ministri, et de clero pariter sedent.

16. Episcopus concedit Poenitentibus indulgentiam, prout sibi placuerit.

17. Deinde deponit mitram, et accedentibus Archipresbytero, Cruciferario, ac Ministris de libro, bugia, et pastorali, stans dat sollemnem benedictionem dicens: *Precibus etc. Indulgentiam etc. Benedicat vos etc.* ut in Pontificali.

18. Episcopus sedet cum mitra, et poenitentes recedunt, ut barbam et crines deponant, et dimissis vestibus poenitentialibus, cultioribus et mundioribus se induant.

19. Interim accenduntur candelae in Altari Secretarii, apud quod in scabellis consuetis in cornu Epistolae accedunt ex Aula minori Diaconus et Subdiaconus cum paramentis albi coloris pro Missa.

20. Eodem tempore disponuntur in Aula majori octo hastiferi, duodecim Presbyteri, septem Dia-

coni, septemque Subdiaconi, ut praesto sint pro ingressu in Secretarium.

21. Episcopus cum toto Clero, ac Ministris paratis ordine processionali, quo venerat, redit in Secretarium ut in §. 2. *n.* 12.

22. Ibi Canonici, Ministri parati supra Canonicos non paratos: Episcopus ad sedem cum Diacono et Subdiacono reconciliationis.

23. Accedentibus Diacono, et Subdiacono Missae cum paramentis albi coloris, recedunt e Secretario omnes parati paramentis violaceis, et ad Aulam minorem pro paramentis albi coloris, proprio cujuslibet gradui congruentibus.

24. Episcopus per manus Diaconi et Subdiaconi Missae deponit paramenta violacea, quibus depositis pulsantur organa.

25. Episcopus deinde accipit paramenta albi coloris pro Missa, ad quam proceditur, ut in hoc *Titulo VIII. Cap. II. §. II. n.* 4.

CAPUT IV.

DE FERIA QUINTA IN COENA DOMINI EPISCOPO ASSISTENTE.

§. I.

De praeparandis in hac Feria Quinta Episcopo assistente.

In Secretario.

1. Paramenta albi coloris pro Celebrante, et Ministris.

2. Intorticia pro elevatione Missae.

3. Cerei pro Processione.

In Aula Majori Paramentorum.

1. Omnia paramenta albi coloris pro Dignitatibus, et Canonicis in Processione.

2. Octo vel sex pluvialia pro Presbyteris hastas Baldachini deferentibus.

3. Tunicella albi coloris pro Cruciferario in Processione.

4. Dalmatica, stola, et tunicella albi coloris pro Diacono et Subdiacono in mandato ministraturis, exceptis manipulis.

In Altari Majori.

1. Altare sollemniter ornatum cum Vasis florum tantum inter sex candelabra.

2. Crux in eo, velo albo tecta.

3. Pallium coloris albi.

4. Paramenta Episcopi super eo, videlicet: Mitra pretiosa, mitra auriphrygiata, pectorale, stola, et pluviale albi coloris, crux pectoralis, cingulum albi coloris, alba, et amictus: omnia velo serico cooperta: et Pastorale in cornu Epistolae.

5. Scamnum panno viridi coopertum a latere Epistolae pro Celebrante, et Ministris.

6. Crux Capituli in latere Epistolae pro Processione.

In Abaco seu Credentia Altaris Majoris.

1. Duo Candelabra cum luminaribus pro Ceroferariis.

2. Duo thuribula cum naviculis, et vas cum carbonibus, et forcipibus.

3. Velum humerale album pro Subdiacono in delatione Calicis tantum.

4. Pyxis cum Particulis.

5. Duo Calices, primus pro Celebrante cum suis annexis, et duabus hostiis; secundus repo-

nendus in Capsula Sacelli, sive Sepulchro cum palla, patena, velo albo pulchro, et vitta alba.

6. Ampullae vini et aquae cum pelvicula, et manutergio.

7. Missale pro Celebrante.

8. Epistolarium, et Evangeliarium.

9 Rituale Romanum pro Confessione ante Communionem.

10. Velum oblongum, et stolae albae pro Communione Cleri.

11. Schedulae num. tredecim pro pauperibus in Missa communicandis.

12. Vas pro purificatione Communicantium, et mappula linea.

13. Humerale album pro Episcopo in Processione.

14. Crotalum pro signo Salutationis Angelicae.

In Presbyterio, et Choro.

1. Presbyterium undique tapetibus stratum.

2. Sedes Episcopalis cortinis albi coloris ornata.

3. Sedilia Canonicorum suis pannis tecta.

4. Prope eamdem Missale cum suo tegumento albo.

5. Liber Canonis, et Bugia.

6. Faldistorium cum pulvinaribus et veste al-

bi coloris pro Missa: deinde cum pulvinaribus et veste violacei coloris pro fine Vesperarum; tandem nudum post denudationem Altaris, cum duobus pulvinaribus violaceis.

7. Legile cum Libro Antiphr., et Psalm. pro denudatione Altaris.

8. Baldachinum Processionale album.

In Sacello parato pro repositione Sacramenti.

Parantur omnia, quae supra notata sunt in hoc *Titulo VIII. Cap. I.*

In Aula Episcopi vel in Ecclesia pro Mandato.

Parantur etiam omnia, quae supra notata sunt in eodem Cap. I. hujus Tituli.

§. II.

De Sacris ritibus Feriae V. in Coena Domini peragendis Assistente Episcopo.

» Quod si Episcopus necessario impedimento
» praepeditus, non celebraret hanc Missam, sed
» illi per alterum celebratae interesset paratus,
» ut alias, saltem non omittat portare SS. Sacra-
» mentum in Processione, quo casu Canonici acci-
» pient paramenta in fine Missae; et demum re-

*

» posito Sacramento, accedere ad Mandatum, et
» lavare pedes pauperum, vel Canonicorum (*a*).

1. Sonus festivus Campanarum mane pro officio.

2. Dicuntur Horae minores demissa voce, ac sine cantu: ad quas duae candelae accenduntur super Altare, removendae ante adventum Episcopi.

3. Post Nonam, Dignitas, sive Canonicus celebraturus Missam cum Diacono et Subdiacono capiunt paramenta alba, et expectantes adventum Episcopi sedent in Scamno pro ipsis parato, ac viridi panno cooperto à latere Epistolae; cui advenienti assurgunt, et faciunt reverentiam, Canonicus celebrans videlicet caput profunde inclinans, Ministri vero genuflectentes si non sint Canonici.

4. Canonici ad excipiendum Episcopum.

5. Episcopus cum Cappa solito comitatu, praecedente Mazzerio, (ac etiam Cruce, si fuerit Archiepiscopus) ad Ecclesiam: et omissa aspersione aquae benedictae, procedit ad Orationem ante SS. Sacramentum, et inde ad Altare majus de more.

6. Episcopus post orationem ad propriam Sedem cum Diaconis assistentibus.

7. Immediate Acolythi cum paramentis Pontificalibus ad Episcopum.

(a) *Coerem. Episc. Lib. II. Cap. XXIII. num.* 14.

8. Episcopus deposita Cappa, accipit paramenta, videlicet: amictum, albam, cingulum albi coloris, crucem pectoralem, stolam, et pluviale albi coloris, pectorale, et mitram pretiosam.

9. Et accepto baculo, descendens de sua Sede cum Diaconis assistentibus, cum pervenerit ad Altare, deposita mitra et baculo, facit Confessionem cum Celebrante, ut alias, relicto Psal. *Judica me Deus etc.* et Missa continuatur prout in *Cap. IX. Caeremonialis Episcoporum Lib. II. de Missa, quae coram Episcopo celebratur*, his tantum exceptis.

10. Ad *Gloria in excelsis* pulsantur Campanae, et Organa, et postea silent Campanae, et Organa usque ad *Gloria in excelsis* Sabbati Sancti.

11. Duae hostiae et particulae in pyxide offeruntur consecrandae Celebranti.

12. Patena non traditur Subdiacono.

13. In thurificatione Oblatorum et Altaris Subdiaconus cum Diacono planetam elevant.

14. Subdiaconus incensat in elevatione SS. Sacramentum.

15. Dicitur *Agnus Dei*, et in tertio dicitur: *Dona nobis pacem*, de more cum tribus sequentibus orationibus, non tamen datur osculum pacis.

16. Celebrans sumpta Communione Corporis

et Sanguinis, antequam se purificet, reponet SS. Sacramentum in alio Calice, quem Diaconus sustinet, deinde palla et paten a desuper posita, velo serico cooperit.

17. Deinde fit Communio Cleri.

18. Post purificationem Celebrantis, Dignitates, et Canonici, et octo vel sex Presbyteri praedicti, et Cruciferarius, et si qui alii erunt, qui cum paramentis in Processione ire debeant, unusquisque Canonicorum, et Dignitatum in loco suo paramenta sacra albi coloris sibi convenientia induet; Beneficiati vero, sive Presbyteri praedicti extra Chorum capient pluvialia, sicut Cruciferarius tunicellam; et discedentibus duobus Diaconis assistentibus, ad se parandum in loco suo, duo ultimi juniores Canonici venient ad assistendum Episcopo, donec primi parati revertantur; quibus reversis, et ipsi ad se parandum ibunt.

19. Finita Missa, et data per Episcopum Benedictione, Celebrans, discedens ab Altari, ibit in Sacristiam, ubi, depositis paramentis Missalibus, induet alia dignitati, et ordini suo convenientia, deferenda in Processione; et reversus ibit ad locum suum inter alias Dignitates, seu Canonicos.

20. Interim accedunt ad Episcopum duo Aco-

lythi cum duobus thuribulis, et ministrante navicula Presbytero assistente, absque osculo cochlearis, et manus, Episcopus stans cum Mitra, sine benedictione, imponet thus in praedictis duobus thuribulis.

21. Quo facto accedet ad Altare, et omnia perficiet prout in *Cap. II. hujus Tit. VIII.* §. *IX. de processione SS. Sacramenti ad Sacellum a num.* 2. usque in finem.

22. In regressu servabit pariter omnia, quae ibidem notata sunt §: *X. De regressu Processionis.*

23. Deinde pro Vesperis omnia perficiet, quae pariter ibidem notata sunt §. *XI. de Vesperis.*

24. Vesperis expletis Episcopus procedet ad Altarium denudationem, ut ibidem §. *XII. De Altarium denudatione.*

25. Tandem Episcopus accedet ad Mandatum, et omnia perficiet, ut notata sunt ibidem §. *XIII. De Mandato faciendo.*

CAPUT V.

DE COMPLETORIO HUJUS DIEI, ET DE MATUTINO FERIAE VI. IN SERO HUJUS FERIAE V. ABSOLVENDO.

§. I.

De Completorio.

1. Signum cum crotalo.

2. Hora competenti omnes in Choro Cruci genuflectens, etiam Canonici, ut supra.

3. Dicitur Completorium sine cantu, et sine luminibus.

4. Initium habet a Confessione, et absolutione, omissis aliis praecedentibus.

5. Successive post Psalmos dicitur Cantic. *Nunc dimittis* ℣. *Christus factus est etc. Miserere*, et Orat. *Respice quaesumus etc.*

6. Non dicitur in fine *Pater noster*, nec *Ave*, nec *Credo* (*a*).

(a) *Bened. XIII. Memor. Rit. Maj. Hebd. Tit. VI. Cap. IV. §. I. n. 6.*

§. II.

De Matutino Feriae Sextae in Parasceve.

1. Altare, Sedes Episcopalis, et tota Tribuna, ac pavimentum sint penitus denudata.

2. Pulvinar in Sede Episcopi pro ejus commoditate.

3. Sedilia Canonicorum sint pariter denudata.

4. Faldistorium nudum, habebit tamen pulvinaria coloris nigri.

5. Episcopus solito comitatu ad Ecclesiam, ut in Feria praecedenti ad Matutinum.

6. Accedit ad Sacellum, ubi asservatur Sacramentum in Capsula: deinde ad Altare majus pro Oratione; genuflectens Cruci, ut supra.

7. Procedit ad Sedem suam, et cantatur Matutinum cum Laudibus, in quibus omnia pro primo Matutino dicta observantur.

8. In fine Laudum ad ℣. *Christus factus est etc.* additur *mortem autem Crucis.*

9. Datur signum salutationis Angelicae cum Crotalo.

10. Omnes tandem, adorato Sacramento, recedunt.

CAPUT VI.

DE ALTARIUM ABLUTIONE JUXTA MOREM BASILICAE VATICANAE, AC METROPOLITANAE BENEVENTANAE.

In sero Feriae V. Majoris Hebdomadae (1).

§. I.

De Praeparandis.

In Secretario.

1. Altare nudum cum Cruce, et Candelabris, extinctis luminibus.

2. Paramenta pro Episcopo super illud; nimirum: Pluviale, et stola coloris nigri, crux pectoralis minus sollemnis, cingulum, alba, amictus, omnia velo serico nigri coloris cooperta. Mitra simplex in cornu Epistolae.

3. Super duobus Armariis e regione Altaris: Sex Stolae acuminatae coloris nigri: sex superpellicea: (in Cathedralibus, ubi numerus Canonicorum est duodecim tantum, Stolae ac Superpellicea possunt esse quatuor pro primis quatuor Dignitatibus, seu Canonicis Dignioribus) aliud superpelliceum pro Canonico Sacrista.

---

(1) *Ex Opusc. Benedict. XIII. Num. XVII. pag.* 287.

In Abaco Altaris Majoris.

1. Amphorae tres argentae vini optimae notae, modica aqua commixti, refertae super Pateram.

2. Septem Mappae lineae mundae (vel quinque, *ut nota* : *supra num.* 3.)

3. Septem Spongiae (vel quinque, ut supra).

4. Bacilia plura argentea.

5. Aspersoria ex ramis Taxi, seu Buxi, aut fruticis sanguinei, vulgo *Sanguinella*, pro Episcopo, ac pro omnibus Canonicis, Mansionariis, et Clericis.

6. Faldistorium nudum cum Pulvinaribus nigris.

7. Antiphonarium parvum cum tegmine nigro, et bugia cum candela cerae communis extincta.

§. II.

De Praemittendis actuali functioni usque ad accessum ad Altare.

1. Dum in Choro cantatur Psalmus *Miserere* post Laudes Tenebrarum, Acolythi ad Secretarium pro delatione paramentorum Episcopi, ac Canonicorum.

2. Absolutis Laudibus, ac mysterioso completo fragore, Episcopus e suo Faldistorio, trahens sibi cappae caudam, ascendit Sedem Pontificalem nudam.

3. Illico duo Diaconi assistentes accedunt ad Episcopum, quos subsequuntur delatores Paramentorum Episcopi.

4. Canonicus Sacrista in Secretarium pro superpelliceo supra Rocchettum.

5. Episcopus, deposita cappa, per manus Diaconorum induitur amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, stola, et pluviali nigri coloris, et sedens accipit mitram simplicem.

6. Deferuntur etiam paramenta pro sex (vel quatuor) Dignitatibus.

7. Dum Episcopus praecingitur cingulo, sex (vel quatuor) Dignitates, depositis Cappis, accipiunt super Rocchettum superpellicea, et Stolas nigras.

8. Sedentibus omnibus, e Credentia quatuor Acolythi in Chorum cum Aspergillis super duobus Bacilibus.

9. Duo Acolythi distribuunt Aspergilla Canonicis non paratis.

10. Successive duo alii deferunt Aspergilla prò Mansionariis super Bacilibus, distribuenda ab iisdem, qui et Canonicis.

11. Alii duo idem praestant Clericis omnibus in Choro, et Presbyterio.

12 Canonicus Sacrista e Secretario ad Abacum Altaris Majoris, ubi sedet.

§. III.

De accessu ante Altare.

1. Faldistorium in medio Presbyterii.

2. Praecedentibus sex (vel quatuor) Dignitatibus , uti supra paratis , Episcopus inter suos Diaconos assistentes e Sede ad Faldistorium , Dignitates vero se sistunt hinc inde ad latera Episcopi circulatim.

3. Immediate post Episcopum subsequuntur Canonici omnes non parati , incipiendo a Dignioribus , Mansionarii , et Clerici omnes , et formant in Presbyterio retro Episcopum tres circulos , ut in denudatione Altaris de mane.

4. Episcopus ante Faldistorium deponit Mitram per Diaconos assistentes , qui statim se retrahunt inter Canonicos in Circulo.

5. Tum Episcopus in plana terra , unico genuflexo , Crucem adorat , quod et faciunt caeteri omnes eodem tempore.

6. Surgunt omnes , iterumque ambobus genibus flexis , Episcopus tamen super pulvino , coadjuvantibus Cappellanis , orant.

§. IV.

De Altaris Ablutione.

1. Accedentibus Ministris de Libro et Bugia Episcopus intonat Antiphonam: *Diviserunt sibi etc.* quam Schola, et ceteri omnes moroso ac lugubri concentu prosequuntur cum Psal. 21. *Deus, Deus meus, respice in me etc.*

2. Interim surgunt omnes, et amoto Faldistorio, quod collocatur in plano Epistolae, ubi esse solet, Episcopus, accedentibus Diaconis assistentibus, deponit pluviale, et accipit mitram; quo facto, redeunt Diaconi ad loca sua.

3. Episcopus inter sex (vel quatuor) Dignitates ascendit ad Altare, et ope earumdem, amovet a sacra Mensa Telam ceratam, quam recipiunt duo Acolythi a latere Epistolae, et reponunt super Credentiam.

4. Tunc accedunt a Credentia ante gradus Altaris tres Acolythi, unus cum Pelvicula, et aspergillo pro Episcopo, duo alii cum duobus Bacilibus cum Aspergillis pro sex (vel quatuor) Dignitatibus.

5. Adorata Cruce, ascendunt Acolythi, et Magister Caeremoniarum Aspergillum sumit, et Episcopo tradit: alio duo distribuunt Dignitatibus, et recedunt.

6. Canonicus Sacrista, praecedente Acolytho cum Patera argentea, et una ex tribus Amphoris praeparatis, accedit ad Altare,

7. Facta genuflexione, sumit Amphoram, ascendit ad Altare, et medius inter Episcopum, et primam Dignitatem, effundit super Mensam totum vinum, aqua uti supra commixtum.

8. Episcopus, et sex (vel quatuor) Dignitates illico cum aspergillis diffundunt, sparguntque liquorem evacuatum per totam Sacrae Mensae planitiem, quam reverenter abluunt, perfricantque.

9. Effuso vino, Sacrista recedit, Amphoram deponit et redit cum Acolytho ad Credentiam.

10. Immediate sex (vel quatuor) alii Canonici antiquiores cum Cappis, et aspersoriis accedunt e Circulo ad gradus Altaris, et genua flectunt in infimo, ita ut duo Seniores sint in medio, alii hinc inde juxta eorum ordinem, orantes, donec Episcopus, et Dignitates, completa prima perfricatione, secesserint.

11. Episcopus sic mitratus, et Dignitates, his peractis, genuflectunt Cruci, et per breviorem recedunt Dignitates ad latera Altaris super infimum gradum, Episcopus ad Faldistorium in plano Epistolae, restituentes singuli aspergilla Acolythis, et Magistro Caeremoniarum respective.

12. Episcopus sedet in Faldistorio, et Dignitates in eodem infimo gradu, facie versa ad Altare persistunt.

13. Praedicti Sex (vel quatuor) Digniores Canonici surgunt, ascendunt ad Altare, ejusque Mensam eodem plane modo lavant, ac primi.

14. Succedunt alii Sex (vel quatuor) pariter genuflectentes in infimo gradu, donec secundi recesserint, adorata Cruce ad pristina loca per breviorem, ubi aspergilla restituunt.

15. Sic reliqui, sive seni, sive quini, sive quaterni juxta numerum eorum usque ad ultimum.

16. Expedito Canonicorum numero, accedit secundo Sacrista cum Acolytho deferente alteram Amphoram, quam pariter super Altare profundit, et recedit.

17. Interim Sex (vel quatuor) antiquiores Mansionarii accedunt ad Altare, genuflectunt in ultimo gradu, ascendunt, abluunt, perfricant, ac recedunt, ut supra.

18. Sic alii Mansionarii, aliique de Clero Ecclesiae Cathedralis Presbyteri, Diaconi, Subdiaconive seni, ut supra, aut in fine quini, aut quaterni.

19. His expeditis, tertio Sacrista ad Altare pro tertia vini effusione.

20. Interim Clerici omnes ab Acolythis incipiendo, seni cum aspergillis idem faciunt, orantes, abluentes, perfricantes, et recedentes.

21. Donec hujusmodi actio sacra perficitur, Episcopus cum ministerio libri et bugiae legit ad Faldistorium Psalmum ipsum, quem Schola cantat.

§. V.

De Altaris Detersione.

1. Expleta tota ablutione, Episcopus, accedentibus duobus Diaconis, surgit, accedit per longiorem ante gradus Altaris, quem sequuntur sex (vel quatuor) Dignitates hinc inde.

2. Recedunt Diaconi, et Episcopus cum sex (vel quatuor) antedictis, sic cum mitra Crucem adorat unico genu, in gradu infimo flexo: surgunt et ascendunt ad Altare, uti prius.

3. Sequuntur immediate tres Acolythi cum septem (vel quinque) spongiis, totidemque mappulis in pelvi, et duobus bacilibus, uti supra de aspergillis.

4. Episcopus per manum Magistri Caeremoniarum accipit primo spongiam, quod et faciunt

Dignitates, quibus absorbent quidquid humoris super abluta Mensa remanserit.

5. Tunc restituunt spongias, et accipiunt mappulas, quibus integram Mensam undequaque detergunt, flosculos, si qui ex aspergillis ceciderint, removentes, et supra bacilibus immittentes.

6. Tandem restitutis mappulis, ac recedentibus Acolythis, Cruci genuflectunt, et descendunt ad planum ante gradus Altaris, in loco, scilicet, ipso, ubi ab initio orationi vacatum est.

7. *Aspergilla*, *Spongiae*, *Mappulae conserventur super Bacilibus*, *ut abluantur*, *et ablutio in Sacrarium mittatur.*

8. Episcopus, accedentibus Diaconis, resumit pluviale mitratus, et interim affertur, ante ipsum, Faldistorium. Eodem tempore duo Acolythi reportant Telam ceratam super Altare, et extendunt, ut prius.

9. Completo Psalmo, et repetita Antiphona, Episcopus genuflectit, deponit mitram, genuflectentibus omnibus, et Diaconi inter Canonicos.

10. Tunc Cantores cantant Versiculum: *Christus factus est etc.* cum additione: *Mortem autem Crucis*, et post *Pater noster* secreto, Episcopus recitat orationem: *Respice*, *quaesumus Domine*, *super hanc familiam tuam etc.*

§. VI.

De Reditu in Chorum, ac Paramentorum depositione.

1. Absoluta Oratione *Respice etc.* datur signum Salutationis Angelicae cum crotalo.

2. Surgunt deinde omnes, et facta genuflexione, Episcopus accipit mitram per Diaconos assistentes, inter quos medius, praecedentibus sex (vel quatuor) paratis, redit ad Sedem.

3. Successive Canonici, Mansionarii, et Clerici ad propria in Choro, et Canonicus Sacrista ad Secretarium.

4. Episcopus, et alii deponunt Paramenta, et recipiunt Cappas.

5. Tandem, adorata Cruce, et Sacramento, omnes cum summa devotione ac silentio discedunt.

****

TITULUS IX.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

CAPUT I.

DE FERIA SEXTA IN PARASCEVE

Episcopo faciente Officium :

§. I.

De praeparandis pro hujus Feriae officio.

In Secretario.

1. Altare undequaque nudum, excepta Mensa, unica tantum tobalea cooperta.

2. Crux, in eo, velo nigro tecta, et candelabra ex aurichalco cum cereis extinctis ex cera communi.

3. Paramenta Pontificalia nigri coloris supra illud, videlicet : Mitra simplex, gremiale, planeta, dalmatica, tunicella, stola nigri coloris, crux pectoralis simplex, manipulus, et cingulus nigri coloris, alba, amictus : omnia velo serico nigro cooperta.

4. Faldistorium ex aurichalco nudum cum duo-

bus pulvinaribus nigri coloris pro Nona ante Altare.

5. Pulvinar ejusdem coloris in Sede Pontificali nuda.

6. Duo Scabella ibidem.

7. Duo alia scabella prope Altare in cornu Epistolae pro Diacono et Subdiacono.

8. Sedilia hinc inde disposita pro Presbyteris deferentibus hastas baldachini cum Pluvialibus nigris.

In Abaco, seu Credentia ejusdem Secretarii.

1. Mantile quod planitiem non excedat.

2. Liber Canonis, et Bugia cum Candela cerae communis extincta.

3. Bacile, et buccale simplex pro abluendis manibus, et mantile ad tergendum manus.

4. Duo Manipuli, et Planetae plicatae pro Diacono et Subdiacono.

5. Duo Candelabra cum candelis ex cera communi extinctis pro ceroferariis.

In Aula minori Paramentorum.

1. Stola nigri coloris pro Diacono.
2. Tres Stolae, tres manipuli ejusdem coloris nigri, et totidem missalia pro Cantoribus Passionis.
3. Tria Pluvialia nigri coloris pro Ministris juxta consuetudinem Ecclesiarum.
4. Planeta plicata pro Crucifero.

In Aula majori Paramentorum.

1. Pluvialia, planetae, et planetae plicatae nigri coloris pro Dignitatibus et Canonicis in Secretario vestiendis.
2. Octo, vel sex Pluvialia nigri coloris pro Presbyteris hastas baldachini deferentibus.

In Altari Majori.

1. Altare undequaque nudum cum sex tantum candelabris ex aurichalco cum cereis extinctis cerae communis.
2. Crux lignea in eo, velo nigro taliter cooperta, ut facilius removeri possit.
3. Tabella Indulgentiarum pro Concionatore.
4. Pulvinar nigrum pro Episcopo apud Abacum.
5. Crux Capituli pro Processione.

In Abaco, seu Credentia Altaris Majoris.

1. Mappa, sed a nulla parte pendeat.

2. Mappa unica plicata pro Altari, quae pariter a nulla parte pendeat.

3. Cussinus Coloris nigri, et Missale cum tegumento nigro pro Episcopo.

4. Epistolarium pro Lectionibus.

5. Stola latior pro Diacono.

6. Crotalum pro signo.

7. Velum humerale nigrum cum pelvi argentea pro calceis.

8. Libelli pro improperiis.

9. Bursa nigri coloris cum Corporali, et purificatorio.

10. Velum parvum nigrum pro Calice reportando post officium.

11. Bacile, et Buccale simplex cum Mantili ad tergendum manus.

12. Duo Thuribula cum navicula.

13. Vasa pro praegustatione, et ampullae vini et aquae.

14. Octo, vel sex Candelae ex cera alba, tradendae hastiferis post regressum Processionis.

1. Faldistorium ex aurichalco nudum cum duobus pulvinaribus nigri coloris.

Notandum quod non sunt paranda pulvinaria pro Ministris procumbentibus praesente Episcopo; sed Canonici debent genuflectere in plano, ut alias, sine pulvinaribus. Quod servandum est etiam ad Litanias in Sabbato Sancto.

» Usus pulvinaris tam in sedendo, quam in » genuflectendo Dignitatibus et Canonicis praesen- » te Episcopo: *Non competere* decrevit S. R. C. (*a*). » Et iterum (*b*): = *An liceat Canonico usus* » *Pulvinaris sub genubus tam in Cancello, quam* » *in gradibus Altaris, praesente Episcopo* S.R.C. (c) » Respondit = *Negative*. Similiter in Caerem. Epi- » scoporum soli Episcopo tam in sedendo, quam » in genuflectendo tribuitur usus pulvinaris, et » numquam Canonicis, nec Canonico, nec Prae- » lato Celebranti coram Episcopo (*d*); sed neque

---

(*a*) *Die* 2. *Junii* 1681 *Decr. Auth. Tom. III. n.* 2939 *ad* 5.

(*b*) *Tom. cit. num.* 3367. *ad* 1. *et novissime n.* 4435. *ad.*

(c) *Die* 9 *Maji* 1699.

(*d*) *Caerem. Episc. Lib. II. Cap. XXVI. n.* 1.

» Canonico celebranti conceditur ad Litanias in » Sabbato Sancto assistente Episcopo, ut in eo- » dem Caerem. Episcoporum (*a*).

2. Sedilia hinc inde in Presbyterio pro octo, vel sex delaturis hastas baldachini.

3. Duo legilia cum Libris improperiorum in Choro.

4. Pulvinar nigri coloris in Sede Pontificali nuda.

5. Sedilia Canonicorum, et aliorum, ac tota tribuna sint penitus denudata.

6. Pannus, vel Tapes oblongus, seu pannus violaceus extendendus suo tempore pro adoratione Crucis: magnus item pulvinus ex serico villoso violaceo auroque factus, ubi Crux erit ponenda, et velum album serico violaceo intertextum, super eo explicandum.

7. Pelvis ad recipiendum pecunias, quae Cruci offeruntur, ponenda ad dexteram adorantis.

In Sacristia SS. Sacramenti.

1. Tapes, pulvinar, velum, et lanx pro Cruce adoranda a mulieribus.

2. Stola nigra pro Cappellano.

(*a*) *Lib*: *II*. *Cap*. *XXVIII*. *num*. 8, *et* 9.

In Sacello parato pro Sepulchro.

1. Pulvinar nigri coloris.
2. Velum humerale album pro Episcopo.
3. Baldachinum album cum hastis.
4. Intorticia, et Cerei pro Canonicis, et aliis de Clero.
5. Scabellum graduatum pro extrahendo Calice.

In Cathedrali Basilica Sulmonen. additur.
In Cappella S. Blasii.

Parvum Baldachinum super Altare, et quatuor Candelabra cum candelis pro exponenda Mirabili Spina Coronae D. N. J. C. post Missam praesanctificatorum.

§. II.

De Principio Officii usque ad accessum ad Altare.

1. Signum cum Crotalo.
2. Dicuntur Horae minores usque ad Sextam inclusive sine luminibus.
3. Hora competenti Episcopus veniet ad Eccle-

siam cum sua Cappa, associatus more solito, ut in Matutinis hujus Hebdomadae.

4. Orat ante SS. Sacramentum, et Altare majus, et intrat Secretarium; ibi cum Cappa ascendet ad Sedem suam nudam, ibidem praeparatam, et stans, detecto capite, versus Altare dicit secreto *Pater noster.*

5. Quo finito, Chorus recitat Nonam. Incoepto primo Psalmo, Episcopus sedet, sedentibus omnibus, et Clerici pariter in gradibus Altaris et Sedis.

6. Interim Canonici Evangelium et Epistolam cantaturi, capiunt sua paramenta, praeter manipulum, et planetam, et sic in albis remanent donec erit tempus parandi Episcopum.

7. Cum dicitur in fine Nonae *Christus factus est etc.*, Episcopus trahens per terram caudam extensam genuflectet ante altare super faldistorio nudo, capite detecto, et finito psalmo *Miserere mei Deus etc.*, dicit genuflexus orationem *Respice quaesumus Domine.*

8. Mox revertitur ad dictam sedem, deponit cappam, et sedens lavat manus more solito, accendente Presbytero assistente tantum, et statim recedit.

9. Ministri de libro, et bugia cum Candela ex-

tincta apud Episcopum pro Orationibus ad paramenta, incipiendo ab ea: *Exue me Domine* (*a*).

10. Diaconus et Subdiaconus ad Episcopum, sequentibus Acolythis cum paramentis missalibus.

11. Deinde per Diaconum et Subdiaconum paratur solitis paramentis, et etiam manipulo, exceptis sandaliis, et chirothecis, quibus hodie non utitur: dicit orationes solitas ad paramenta, non tamen Psalmum *Quam dilecta etc.* cum aliis. Episcopus, et omnes utuntur paramentis nigris, si haberi possint, et deficientibus nigris, coloris violacei. *Si fuerit Archiepiscopus hac die non utitur Pallio.*

12. Cum Episcopus incipit parari, Canonici pariter capiunt paramenta convenientia, prout suo loco dictum est.

13. Diaconi habeant planetas ante pectus plicatas; et Canonicus Presbyter, dignori Presbytero proximus, servit hac die Episcopo in assistentia cum pluviali nigro.

14. Episcopus paratus sedet aliquantulum; Diaconus, et Subdiaconus capiunt manipulos, et planetas ante pectus plicatas ad propria scabella; et Diaconi cum Presbytero assistente ad Episcopum.

15. Si erit Archiepiscopus, praecedet Cappella-

(*a*) *Caerem. Episc. Lib. II. Cap. XI. n. 2.*

nus cum cruce velata inter duos Ceroferarios cum candelis extinctis, et sine inceuso, et praecedentibus Clero ante Crucem, et post Crucem Canonicis paratis, procedet ad Altare more solito. Si non erit Archiepiscopus, non portatur Crux.

16. Proceditur autem hoc ordine:

I. Caeremoniarius.

II. Clerici Seminarii, et alii de Clero.

III. Mansionarii.

IV. Familiares Episcopi cum Scutiferis hinc inde non interrumpentibus procedentes.

V. Octo vel sex Beneficiati vel Presbyteri cum pluvialibus nigris.

VI. Canonici Cathedralis ordine eorum.

VII. Subdiaconus sine libro.

VIII. Presbyter assistens cum Diacono a sinistris.

IX. Episcopus inter diaconos assistentes.

X. Tres Ministri.

XI. Vicarius Generalis, et Protonotarii.

17. Episcopus ante Altare procumbit, et genuflexus super nudo genufloxorio, deposita mitra, diutius orat, quod et omnes alii faciunt.

18. Et interim extenditur per Acolythos, aut Caeremoniarios, mappa super Altari, scilicet per longum, non explicando eam per latitudinem, ita tamen, ut duplicatio sit versus medium Altaris, et partis explicandae versus frontem ejusdem Altaris.

§. III.

De accessu ad Altare, et principio Officii usque ad Passionem.

1. Postquam Episcopus oraverit, surgit, osculatur Altare, reassumpta mitra, sedet super nuda cathedra, seu faldistorio, posito in cornu Epistolae Altaris ita ut faciem vertat ad cornu Evangelii. Neque hac die unquam sedet in sede sua Episcopali in hoc officio, nisi in fine, ut infra.

2. Episcopus sedens accipit gremiale, ministrante Diacono Evangelii.

3. Presbyter assistens sedet super primum gradum ad pedes Episcopi, et post eum in eodem gradu Diaconus et Subdiaconus; et prope ipsos duo alii Diaconi assistentes, ubi solent assistere.

4. Clerici partim ad Credentiam, partim ad gradus laterales Altaris; reliqui ad gradus in Choro.

5. Mansionarii, et Canonici in suis sedilibus.

6. Octo vel sex cum pluvialibus pro hastis, pariter ad sua sedilia in Presbyterio.

7. Tunc unus ex Beneficiatis cotta indutus, comitante Caeremoniario, cum debitis reverentiis, sibi ipsi librum tenens, dicit primam Prophetiam sine titulo, in loco ubi legitur Epistola, et sine osculo manus Episcopi.

8. Qua finita relinquit librum in manu Caere-

moniarii; et factis debitis reverentiis, revertitur ad locum suum.

9. Omnes, qui sedebant in gradibus Altaris, aperto capite surgunt, et vertentes se per humerum dexterum versus Altare, Cruci genuflectunt, et Episcopo inclinant, vel genuflectunt respective: et sic versi ad Altare remanent, exceptis ministraturis. (*Qui modus servatur in aliis similibus surrectionibus.*)

10. Ministri de Libro et Bugia cum candela extincta ad Episcopum per gradus laterales Evangelii, genuflectendo Cruci in plano, postea in suppedaneo Episcopo.

11. Episcopus vero dum Tractus cantatur, legit ex Libro dictam Prophetiam sine candela accensa, ministris tamen assistentibus circa eum stantibus.

12. Collocatur Cussinus, sive legile super Altare in cornu Epistolae, et super eo Missale.

13. Finito Tractu, Episcopus, deposito gremiali, et Mitra ministerio Diaconi et Subdiaconi, surgit, et omnes surgunt: amovetur Faldistorium, et stans ibidem versus Altare, dicit: *Oremus*, et Diaconus post Episcopum dicit: *Flectamus genua*, et omnes genuflectunt, excepto Episcopo; Subdiaconus vero post Diaconum, dicit:

Levate, et omnes surgunt; et Episcopus dicit Orationem.

14. Interim Subdiaconus deponit Planetam, et portans, et tenens Librum, cantat Epistolam, sive alteram Prophetiam in loco jam dicto, qua finita, absque osculo manus, resumit planetam, et redit ad locum suum.

15. Reposito Faldistorio ut prius, Episcopus sedet cum mitra, et gremiali, et dum cantatur Tractus, legit Epistolam, et Tractum, servientibus sibi solitis Ministris.

§. IV.

De Passione, usque ad Crucis denudationem.

1. Dum per Chorum cantatur Tractus, tres Cappellani, seu Cantores (*in nostra Cathedrali Basilica tres Canonici* (*a*)) qui Passionem sunt can-

---

(*a*) » Consuetudo, quod Passio in Dominica » Palmarum, et Feria VI. in Parasceve decante- » tur a Canonicis, servanda est, non obstante » Caeremoniale, in quo disponitur eamdem a Can- » toribus esse decantandam, ut decrevit *S. R C.* » *Dec. Auth. Tom. I. n.* 311. sane in Basilica » Vaticana tam in Dom. Palmarum, quam Fer. » VI. in Parasceve, Canonici cantare Passionem » solent ec. »

taturi, parantur in Sacristia in habitu Diaconali, praeter Dalmaticam, prout in Dominica praeterita dictum fuit, coloris tamen nigri; et circa finem Tractus, procedunt eodem ordine cum tribus Cappellanis sine candelabris, et incenso, et cantant Passionem, prout ibi dictum fuit, sed non osculantur manum Episcopi.

2. Episcopus, (deposito gremiali, et mitra) et omnes, cum inchoatur Passio, surgunt, et stant detecto capite usque ad ejus finem; et, remoto faldistorio, Episcopus apud Altare in cornu Epistolae legit secreto ex Libro super Altare posito Passionem usque ad finem, versus aliquantulum ad ipsos Cantores.

3. Et Ministri sacri stant juxta Episcopum, dum legit Passionem, pro situ loci in plano ordine suo, videlicet: Presbyter assistens apud Librum cum Ministro de bugia: Diaconus vero Evangelii, Subdiaconus Epistolae, et duo Diaconi assistentes stant in plano Epistolae recta linea versus Cantores Passionis, et Ministri de Libro et Mitra post terga illorum (*a*).

4. Cum autem Cantores pervenerint ad ea ver-

(*a*) *Bened. XIII. Memor. Rit. Maj. Hebd. hac die.*

ba: *Et inclinato capite tradidit spiritum*, Episcopus, et omnes in locis suis genuflectunt, sic parumper manentes, et orantes, deinde surgente Diacono, seu Cantore, qui Evangelistae personam gerit, omnes surgunt, stantes, et audientes reliquum Passionis, usquequo legendum sit in tono Evangelii.

5. Finita Passione reponitur Faldistorium ut prius. Tunc Episcopus sedet cum mitra, et gremiali, et omnes sedent, et Cantores, qui cantaverunt Passionem cum debitis reverentiis discedunt.

6. Episcopus interim, accedentibus Ministris de libro et bugia, et aliis ministris Canonicis stantibus in secundo gradu, ut supra ante Altare, praeter Diaconum, dicit: *Munda cor meum etc.*, et legit eam partem, quae cantanda est in tono Evangelii.

7. Tunc Diaconus Evangelii, deposita Planeta, et accepta altera complicata, vel stola latiori super humerum sinistrum, portat Librum ad Altare, dicit genuflexus: *Munda cor meum etc.*, reassumit Librum, et vadit cum Subdiacono, et duobus Acolythis sine luminibus et sine incenso, et nulla petita benedictione, cantat reliquum Passionis in tono Evangelii.

8. Episcopus per manus Diaconorum assistenti-

um deponit gremiale, et mitram, et stat in eodem cornu Epistolae versus Diaconum, non amoto faldistorio: et tunc Presbyter, et Diaconi assistentes se recipiunt in plano Epistolae versi ad Diaconum.

9. Quo finito, Diaconus cum aliis qui secum erant, factis debitis reverentiis, revertuntur ad loca sua.

10. Tunc si Sermo est habendus, ducitur Sermocinator in habitu convenienti ante Episcopum per Caeremoniarium, qui genuflexus petit Indulgentias absque benedictione, et cum debitis reverentiis vadit ad Pulpitum, et habet Sermonem.

11. Episcopus tunc sedet cum gremiali, et mitra in eodem cornu Epistolae, sed versus ad Sermocinantem; alii omnes, sedente Episcopo, sedent.

12. Statim, finito Sermone, Sermocinator pronunciat Indulgentias ab Episcopo concessas.

13. Non fit confessio, nec absolutio, nec datur benedictio, sed statim Episcopus surgit, deposita mitra, et gremiali, et remota Cathedra, et stans in eodem loco, cantat ex Libro Orationes, ut in Missali, stantibus Presbytero assistente ad librum cum Ministro de bugia, Diacono, et Subdiacono, uno post alium, et Diaconis assistentibus in medio ante Altare, ut in Missis Pontificalibus.

14. Diaconus dicit: *Flectamus genua*, Subdiaconus vero: *Levate*, advertendo ubi dicendum erit prout in Missali.

§. V.

De Crucis denudatione.

1. Finitis Orationibus, Episcopus deponit Planetam apud Faldistorium, et interim dum dicuntur ultimae Orationes, ministri extendunt tapete magnum, vel pannum violaceum ante gradum Altaris vel Presbyterii, et super primos ejus gradus ponunt pulvinar amplum, et super eo velum, seu mappam sericam, ut supra, ubi ponenda erit Crux.

2. Idem fit in gradibus Altaris Sacelli navis lateralis pro adoratione facienda a mulieribus.

3. Episcopus, deposita planeta, et remoto Faldistorio, vadit ad angulum posteriorem cornu Epistolae, facie ad populum versa. Subdiaconus apud Episcopum in plano: Diaconi assistentes ante Altare, ut in Missis Pontificalibus.

4. Tunc Sacrista capiens Crucem de medio Altaris illam porrigit Diacono, qui camdem dat Episcopo, qui eam devote accipiens, manu dextera detegit illius summitatem usque ad transversum Crucis, et ambabus manibus illam elevans,

voce gravi cantat *Ecce lignum Crucis*, secundum notas in Missali Romano appositas, Presbytero assistente librum tenente; quod cum dicit, omnes, detecto capite, surgunt.

5. Caeremoniarius, et alii Cappellani, qui circa Altare manent, prosequuntur in cantu verba: *In quo salus mundi pependit*, et Chorus respondet *venite adoremus*, quo dicto omnes genuflectunt, excepto Episcopo celebrante.

6. Idem secundo facit, et cantat Episcopus discooperiendo brachium dexterum Crucis, et caput figurae Crucifixi, procedens ad anteriorem partem anguli praedicti.

7. Et tertio discooperiendo totam Crucem ante medium Altaris, semper altius vocem extollendo (*a*), et idem respondetur per Cappellanos, et

---

(*a*) De sola vocis elevatione loquitur Caeremoniale Epis. *semper altius vocem extollendo*, non vero de elevatione Crucis, de qua solum prima vice dicit, *illam elevans*, scilicet ad altitudinem oculorum ex *Caerem: Papae Marcelli Corcyrensis Lib.* 2. *Sect. I. Cap.* 51. Sed et vocis, et Crucis elevationem una simul ab Episcopo faciendam esse statuit *Memor. Rituum Majoris Hebdomadae*, uti habetur in *Missali Romano* hac die.

Chorum, ut prima vice: et pariter ad illa verba *venite adoremus* semper omnes genuflectunt.

8. Diaconus et Subdiaconus in denudation Crucis erunt a lateribus Episcopi.

9. Caeremoniarius ponit lancem prope pulvinun ad dexteram adorantis, et tunc (si fuerit Archi episcopus) discooperitur Crux Arcihepiscopalis, e aliae omnes Cruces per Ecclesiam.

10. Quibus paratis, ipse Episcopus celebrans solus absque Ministris procedit ad locum, ub est positum pulvinum antedictum, portans Crucem ambabus manibus elevatam devote, nullam tunc Altari faciens reverentiam; et firmat cordulis, si opus est, supra dictum pulvinum, adjuvante Caeremoniario, qui paullo ante ponere debet prope ipsum pulvinum lancem ad dexteram adorantis, ubi pecuniae, quae Cruci offeruntur, ponantur.

11. Cantores incipiunt improperia (*a*).

12. Interim Presbyter assistens, Diaconus, et Subdiaconus, ac Diaconi assistentes se recipiunt in plano Epistolae rectam facientes lineam.

13. Faldistorium reponitur super Altare, ut

(*a*) *Caerem. Rom. Lib.* 2. *Sect. I. Cap.* 51.

prius ; et Cappellanus , et Acolythi cum Scutiferis ad Abacum pro calceamentis Episcopi extrahendis.

14. Episcopus firmata Cruce , surgit , et facta iterum genuflexione revertitur ad Altare , ubi Diaconus, Subdiaconus et Diaconi assistentes accedunt ante gradus anteriores Altaris in plano.

15. Episcopus accipit mitram per Diaconum et Subdiaconum.

16. Accedunt per gradus laterales Evangelii Cappellanus cum velo ad humeros nigro , et pelvis duo Acolythi, et Scutiferi.

17. Deinde Episcopus redit ad suum Faldistorium , ubi ministrantibus Scutiferis , deponit calceos.

18. Eodem tempore Presbyter assistens prope Abacum , et Canonici in Choro , inservientibus Clericis , deponunt calceos , sicut faciunt caeteri omnes de Clero successive in locis suis ; Clerici vero in vestibulo Chartophylacii , qui omnes deponere debent calceos (*a*).

(*a*) *Caerem. Episc. Lib. II. Cap. XXVI. num.* 12. *et Memor. Rituum Maj. Hebdo. Et ex praxi insignium Ecclesiarum.*

§. VI.

De Adoratione Crucis usque ad Processionem.

1. Episcopus deponit mitram, et sic, detecto capite, descendit ad Crucem adorandam medius inter duos Diaconos assistentes, trahens sibi caudam, et gradiens per dictum tapete seu pannum, ter cum debita distantia genuflectit ante Crucem aliquantulum pro unaquaque vice orando; et demum Crucem osculatur: prius tamen offert, seu offerre facit in lancem, ibi positam, pecunias ad libitum.

2. Postquam Episcopus adoravit Crucem, revertitur ad suum Faldistorium in cornu Epistolae, reassumit calceamenta, et per Diaconum, et Subdiaconum planetam, mitram, et gremiale, et sedit, qui deinde recedunt ad Abacum pro demissione calceorum suorum, et sequuntur alii suo quisque loco in adoratione.

3. Accedentibus Diacono et Subdiacono ad Episcopum, Diaconi assistentes ad Abacum dimittunt calceamenta, et procedunt ad adorationem loco suo inter Canonicos (*a*).

4. Interim ne Episcopus solus remaneat sedens

(*a*) *Memor. Rit. Majoris Hebd.*

in Altari, decem Acolythi destinati, ut supra, pro gradibus Altaris, stabunt ante Altare in plano recta linea, donec omnes Ministri parati redeant ad Episcopum.

5. Interim Canonici, et alii Beneficiati, et de Clero Ecclesiae, ordine eorum, deinde Officiales, et nobiles laici adorant ordine, prout in die Cinerum pro capiendis cineribus dictum fuit; quod si fortasse adesset Gubernator principalis, aut aliquis maximus vir, vel Princeps, qui alias soleat habere honorem ante Canonicos, in hoc actu ibit post Canonicos, sed ante alios de Clero, quia est actus humilitatis, in quo laici debent Clericis deferre.

6. Post Episcopum successive sequuntur bini pro adoratione debita cum distantia.

I. Omnes Canonici, inter quos, ordine suo, Presbyter et Diaconi assistentes, Diaconus et Subdiaconus.

II. Vicarius Generalis et Protonotarii.

III. Mansionarii, vel Presbyteri cum Pluvialibus pro hastis.

IV. Cruciferarius sine Cruce.

V. Mansionarii non parati.

VI. Presbyteri, Diaconi, Acolythi, et alii Clerici, secundum ordinem eorum.

VII. Reliqui de populo Viri.

Notandum, quod in Statu Ecclesiastico Praeses, Gubernator, ac Vice-Legatus, Episcopo hac die celebrante, ibit immediate post eum ante omnes Dignitates, et Canonicos ad adorandum Crucem (*a*).

7. Reversis Ministris omnibus paratis et calceatis, recedunt decem Clerici supradicti pro deponendis suis calceis in dicto vestibulo Chartophylacii, et procedunt ipsi ad adorandam Crucem.

8. Accedentibus tunc ad Episcopum Ministris de libro et bugia, et stantibus Canonicis Ministris in secundo gradu more solito, Episcopus sedens legit improperia alternatim cum Diacono et Subdiacono, ministrantibus solitis Cappellanis; quibus finitis, Ministri omnes, ut alias, sedent in gradibus Altaris.

9. Eodem tempore Cappellanus superpelliceo, et stola nigra indutus, ex Altari Sacelli navis lateralis, desumit Crucem jam denudatam, et devote collocat super velo, et pulvinari, uti supra, pro adoratione a Mulieribus facienda; ibique assistit genuflexus versus cornu Epistolae.

10. Circa finem adorationis accenduntur Cerei Altaris, Abaci et Tribunae.

(*a*) *Caerem. Episc. lib. III. cap. V. n.* 4.

11. Diaconus cum Subdiacono explicat mappam lineam super Altari.

12. Diaconus portat ex Abaco corporalia cum purificatorio, quae extendit super Altari: tunc etiam transfertur a Ministro, vel Caeremoniario Missale ad cornu Evangelii cum cussino vel legili.

13. Finita adoratione, Diaconus reportat, nemini faciens reverentiam, Crucem ad Altare, omnibus genuflectentibus, ut supra.

14. Adveniente Cruce, Episcopus deponit gremiale, et mitram, surgit, et genuflectit, et omnes tunc Cruci genuflectunt, et statim surgunt.

15. Reponitur Crux per Diaconum ad locum suum, adjuvante Sacrista, et Episcopus sedet cum mitra, sedentibus omnibus.

16. Removentur tapetia, panni, pulvinaria, et vela strata ante gradus Altaris, vel Presbyterii, et ante gradus Sacelli navis lateralis.

§. VII.

De Processione ad Sacellum, et regressu ad Altare cum SS. Sacramento.

1. Episcopus sedens lavat manus, et imponit thus in thuribulum more solito.

2. Interim ordinatur Processio ad accipiendum SS. Sacramentum de loco, ubi pridie repositum

fuerat; eaque de causa jam praeparata esse debent decem, seu ad minus octo funalia cerae albae, item baldachinum, et duo thuribula cum incenso et igne.

3. Praecedit Subdiaconus paratus cum Cruce denudata, inter duos Ceroferarios, cereos accensos deferentes, et sequuntur primo Clerici, et Beneficiati, seu Mansionarii, deinde Canonici bini secundum eorum ordinem; videlicet primo juniores, deinde digniores, tum Diaconus et Subdiaconus cum Presbytero assistente, ultimo loco Episcopus cum mitra, medius inter Diaconos assistentes; et si fuerit Archiepiscopus, Crux portabitur ante Canonicos; et cum discedunt, Episcopus, deposita mitra, et omnes reverentiam faciunt Cruci cum genuflexione.

4. Cum Episcopus pervenerit ante fores Sacelli, ubi est repositum SS. Sacramentum, deponit mitram, et statim ingressus Sacellum, genuflectit, et ante Altare iterum genuflectit super pulvino, et orat parumper: mox surgit, et stans imponit incensum, ministrante Presbytero assistente, in duo thuribula, nihil dicens: et rursus genuflexus super pulvino, incensat, triplici ductu, SS. Sacramentum, Sacrista aperiente capsulam, ubi includitur: et statim apponitur velum perpulchrum

circa humeros Episcopi, et acubus firmatur, ut aequaliter hinc inde pendeat.

5. Tunc primus Diaconus assistens accipit SS. Sacramentum de dicta capsula, illudque in manibus Episcopi, adhuc genuflexi, reverenter collocat, et statim genuflectit.

6. Episcopus capit Calicem, ubi est Sacramentum, velo, ut pridie, coopertum, ambabus manibus, velo, quod circa humeros habet, coopertis, et surgens illud portat reverenter sub baldachino, quod deferunt Beneficiati parati cum pluvialibus si haberi poterunt, et his deficientibus cum cottis, praeeuntibus Cappellanis cum funalibus accensis, et duobus Acolythis cum duobus thuribulis continuo incensantibus Sacramentum; et revertitur ad Altare eodem ordine.

7. Cantores cantant Hymnum *Vexilla Regis prodeunt etc.*

8. Processio vero revertitur ad Altare majus hoc ordine:

I. Crux Capituli.

II. Clerici.

III. Mansionarii.

IV. Familiares Episcopi cum Scutiferis hinc inde, non interrumpentibus procedentes.

Si fuerit Archiepiscopus Cruciferarius, et Ceroferarii.

V. Canonici Cathedralis.

VI. Duo Thuriferarii.

VII. Baldachinum cum octo, vel sex Presbyteris, seu Beneficialibus paratis, quorum seniores sint ad primas hastas.

VIII. Episcopus cum Sacramento sub eodem baldachino inter Diaconos assistentes.

IX. Ministri de mitra, libro, et bugia.

X. Vicarius Generalis, et Protonotarii.

9. Cum autem pervenerint ad Altaris Cancellos, vel ubi non sunt Cancelli, ad gradus Presbyterii, removetur Baldachinum, et Diaconus Evangelii genuflexus ante gradus Altaris, accipit SS. Sacramentum de manu Episcopi stantis, illudque reverenter collocat super Altare, recedentibus interim Diaconis assistentibus in locis suis, ut in Missis.

10. Episcopus, deposito velo, genuflectit super pulvino in primo gradu Altaris, mox surgit, et ministrante Presbytero assistente ponit incensum in Thuribulum absque benedictione, et iterum genuflexus, Sacramentum incessat triplici ductu, Diacono et Subdiacono elevantibus planetam.

§. VIII.

De reliquo Officio, et ritu hujus Feriae.

1. Episcopus surgit, et ascendit ad Altare, et habens a sinistris Presbyterum assistentem, a dextris Diaconum et Subdiaconum, genuflectit cum illis.

2. Diaconus amovet velum a Calice: deinde patenam, quam invertens, ponit super corporale versus cornu Epistolae: postmodum removet pallam, et resumens ambabus manibus patenam, tenet eam elevatam ante Episcopum.

3. Episcopus Calicem accipiens extrahit Sacramentum de Calice, ponit super patenam, quam Diaconus tenet, deinde accipiens patenam de manu Diaconi, sacram hostiam ponit super corporale, nihil dicens. Si tetigerit Sacramentum, digitos abluat in aliquo vase: et patenam collocat, ut alias, non subtus, sed super corporale.

4. Canonici, et alii de Clero, in duplici gyro, genuflectunt in plano ante Altare: et Cappellani hinc inde tenent funalia accensa usque post Communionem.

5. Diaconus autem, observata caeremonia praegustationis vini et aquae (ut habetur in *Cap. VIII. n.* 62. *Lib. II. Caerem. Episcop.*) de Missa

sollemni, Episcopo celebrante) ponit vinum in Calicem, et Subdiaconus aquam, quam Episcopus non benedicit, nec dicit super eam orationem consuetam, sed accipiens Calicem a Diacono ponit super Altare nihil dicens, et Diaconus illum cooperit palla: Calix autem non abstergitur nec ante, nec post.

6. Cooperto Calice, Presbyter assistens, Diaconus, et Subdiaconus simul genuflectunt: et retrahentibus se in secundo gradu Diacono ad dexteram, et Subdiacono ad sinistram Episcopi, Presbyter assistens transit ad dexteram ipsius Episcopi, et accedit thuriferarius.

7. Deinde Episcopus, ministrante Presbytero assistente, ponit incensum in thuribulo absque benedictione, et incensat oblata, Diacono tenente pedem calicis, et una cum Subdiacono elevante planetam, et inde Crucem, et Altare more solito, genuflectens ante, et post, et quandocumque transit ante SS. Sacramentum; cum incensat oblata, dicit: *Incensum istud etc.* cum incensat Crucem, et Altare, dicit: *dirigatur Domine etc.* quando dat thuribulum Diacono, dicit: *accendat in nobis etc.* et ipse non incensatur.

8. Interim dum fit praedicta incensatio Presbyter assistens descendit in plano in cornu Epistolae.

9. Episcopus peracta incensatione aliquantulum extra Altare in cornu Epistolae, versa facie ad Populum, lavat manus, nihil dicens; deinde in medio Altaris inclinatus (stante Presbytero assistente ad Librum, Diacono a dextris, et Subdiacono in plano post Episcopum) junctis manibus, dicit: *In spiritu humilitatis etc.* deinde versus ad populum in cornu Evangelii, dicit more solito *Orate Fratres*, et per eamdem viam revertitur non perficiens circulum; et statim, omissis aliis, dicit in cantu feriali: *Oremus Praeceptis salutaribus etc.* et dicto sub silentio *Amen*, eadem voce, qua dicit *Pater noster* absolute dicit *Libera nos etc.* in tono Orationis Missae ferialis, non se signans cum patena, et in fine Chorus respondet *Amen.*

10. Tunc Diaconus et Subdiaconus hinc inde genuflectunt in suppedaneo pro elevatione, ad quam non elevatur planeta, nec incensatur Sacramentum, nec pulsatur Crotalum (*a*).

11. Mox Episcopus genuflexus supponit patenam Sacramento, tenens manu sinistra patenam super Altari (*b*), et dextera accipiens hostiam, elevat, ut videri possit a populo.

(*a*) *Memor. Rit. Maj. Hebd. et Gavant. hac die.*
(*b*) *Ibidem.*

12. Quando Episcopus incipit declinare hostiam jam elevatam, Diaconus et Subdiaconus surgunt: Diaconus discooperit Calicem, et Subdiaconus recedit in plano, qui deinde cum aliis genuflectet.

13. Episcopus declinat hostiam, et statim supra Calicem discoopertum dividit in tres partes, quarum ultimam mittit in Calicem, more solito, sed sine signo Crucis, nihil dicens.

14. Diaconus cooperit Calicem, et cum Episcopo genuflectit, sicut et Subdiaconus.

15. *Pax Domini* non dicitur, nec *Agnus Dei etc.* neque pacis osculum datur.

16. Postea Episcopus, praetermissis duabus primis Orationibus, dicit tantum, manibus junctis, et inclinatus: *Perceptio corporis tui etc.* tum genuflectit, et accipit patenam cum Corpore Christi, et maxima humilitate ac reverentia dicit: *Panem coelestem accipiam etc.* percutit pectus suum ter dicens: *Domine non sum dignus etc.* postea signat se Sacramento dicens: *Corpus Domini nostri etc.* et sumit Corpus reverenter.

17. Deinde Episcopus, omissis omnibus, quae dici solent ante sumptionem sanguinis, et collectis fragmentis, immediate particulam hostiae cum vino reverenter sumit de Calice, et more

solito facta ablutione digitorum, infundente vinum Diacono, et sumpta purificatione, in medio Altaris inclinatus, manibus junctis, dicit: *Quod ore sumpsimus etc.* et non dicit: *Corpus tuum Domine etc.* nec *Postcommunio*, nec *Placeat Tibi etc.* nec datur Benedictio, sed statim Episcopus vadit ad cornu Epistolae; ibique cum mitra lavat manus cum solitis caeremoniis.

18. Interim amovetur per Ministrum proprium missale cum cussino, sive legili ex Altari: et Subdiaconus extergit calicem, quem velo parvo nigro coopertum, reportat cum bursa, et corporali ad credentiam.

19. Episcopus, lotis manibus, deponit mitram, genuflectit in medio, ibique resumit mitram, et ascendit ad sedem suam Pontificalem nudam cum Diaconis assistentibus: Presbyter vero assistens ad locum suum inter Canonicos.

20. Interim prope Abacum Diaconus deponit stolam latiorem, et manipulum, Subdiaconus planetam plicatam, et manipulum; et sic in Albis ad Episcopum, recedentibus Diaconis assistentibus.

21. Episcopus deponit sacra paramenta, et assumit Cappam laneam violaceam: interim omnes alii deponunt paramenta, et postea statim dicuntur Vesperae.

§. IX.

De Vesperis.

1. Surgunt omnes aperto capite, et dicto, *Pater*, et *Ave*, Chorus incipit Vesperas sine cantu, ut heri cum candelis accensis (*a*).

2. Interim reportantur ex Altari paramenta Episcopi ad scerophylacium, et amovetur tobalea.

3. Item removentur ex Abaco omnia, etiam tobalea, et reportantur, ubi supra.

4. Ad *Magnificat* Antiphona *Cum accepisset acetum etc.*

5. In fine Vesperarum Episcopus descendit, et genuflectit ante Altare super genuflexorio nudo, cum dicitur: *Christus factus est etc.* et finito Psalmo *Miserere mei Deus etc.* dicit Orationem: *Respice quaesumus Domine etc.*

6. Qua dicta, si sermo non fuerit habitus, tunc publicantur per Presbyterum assistentem Indulgentiae (*b*).

7. Datur signum Salutationis Angelicae cum Crotalo: et extinguuntur candelae Altaris.

8. Et Episcopus revertitur ad Domum suam ordine quo venit.

(*a*) *Mem. Rit Maj. Hebd. hac die.*

(*b*) *Caerem. Episc. Lib. II. Cap. XXVI. n.*21.

§. X.

De Expositione Sacratissimae Spinae Coronae Domini in Cathedrali Basilica Sulmonen.

1. Parantur Candelabra cum cereis in Sacello S. Blasii, et Baldachinum in medio eorum, ut dictum est supra.

2. Post Missam Praesanctificatorum (*a*) accenduntur praedicti cerei, et Sacrista superpelliceo et stola nigra indutus, accipit in Secretario Ostensorium cum Sacratissima Spina, ac praecedentibus duobus Acolythis cum cereis ardentibus, defert ad praedictum Sacellum, et exponit super Altari in Baldachino ibidem parato.

3. Episcopus, expletis Vesperis, et facta genuflexione Cruci ante faldistorium Altaris majoris, procedit, sequentibus Canonicis, ad praefatum Sacellum S. Blasii pro adoratione Sacratissimae Spinae, quae exposita manet usque ad occasum solis hujus diei.

Haec Sacratissima Spina mirabiliter florescit ab

(*a*) Spina de Corona Domini Feria VI. in Parasceve non est exponenda ante Missam Praesanctificatorum, sed ea peracta; ita decrevit *S. R. C. die* 29. *Julii* 1780. *Decr. Auth. Tom. V. num.* 4250.

Hora Sexta usque ad Horam Nonam in hoc Sancto Parasceves die quolibet anno ; ejusque Festum solemniter celebratur cum Officio , et Missa propria sub ritu duplici secundae classis in hac Sacrosancta Cathedrali Basilica Sulmonensi , Dominica prima Maji cum plenaria Indulgentia concessa a SS. D. Pio VII. Pontifice Maximo a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem Dominicae in perpetuum , ex *Brevi* 25 *Aprilis* 1820. ingenti populorum utriusque Dioecesis concursu.

O Coronae miranda dignitas , mortis poenas repellis debitas. Tu spes lapsis , firmitas infirmis. Tu restauras coronas perditas. Hanc igitur Coronam Spineam D. N. J. C. peculiari devotionis affectu veneremur in terris , divinam expectantes promissionem *Isai. Cap.* 28. *v.*5. » In die illa erit » Dominus exercituum Corona gloriae, et sertum » exultationis residuo populi sui «.

CAPUT II.

DE SACRIS RITIBUS FERIA VI. IN PARASCEVE PARAGENDIS ASSISTENTE EPISCOPO.

§. I.

De Praeparandis.

1. Praeparentur et serventur omnia in *praecedenti capite* expressa, si Celebrans sit Praelatus, habens insignia Pontificalia, exceptis Diaconis assistentibus: si vero non sit Praelatus, sed aliquis Canonicus, omnia praedicta similiter parentur, praeter Faldistorium, et Abacum.

2. In credentia parentur pro Episcopo: Amictus, stola, et pluviale nigri coloris, et mitra simplex. Item Missale cum tegumento nigro, et bugia cum candela ex cera communi extincta.

3. In Aula majori paramentorum non parantur pluvialia, et planetae pro Dignitatibus, et Canonicis, qui debent assistere cum Cappis; neque pluvialia pro Beneficiatis, qui deferre debent hastas Baldachini cum Cottis.

4. Item parantur paramenta Missalia coloris nigri pro Celebrante, et Ministris, qui utuntur planetis ante pectus plicatis.

5. In Presbyterio scabellum nudum ponendum

pro Celebrante a sinistris genuflexorii Episcopi aliquantulum post ipsum pro Oratione.

6. In Sede Pontificali ligneum instrumentum pro elevando pulvinari.

§. II.

De Accessu Episcopi usque ad Processionem ad Sacellum.

1. Celebrans cum suis Ministris paretur in Sacristia ante adventum Episcopi.

2. Post Nonam Canonici ad Episcopium.

3. Episcopus, hora congrua, indutus Cappa ex lana violacei coloris, associatus a Canonicis more consueto venit ad Ecclesiam, ut in Matutinis hujus Hebdomadae.

4. Orat prolixius ante Altare, super genuflexorio nudo genuflexus, et ad ejus sinistram aliquantulum post ipsum Celebrans super scabello nudo cum Diacono et Subdiacono in nudo solo genuflectentibus.

5. Cumque oraverint prolixius solito (*a*), Episcopus surget, ascendet ad Sedem suam, comi-

---

(*a*) *Prolixius solito*, idest quasi ultra spatium unius *Miserere*, ut ait post Patricium Crassus.

tantibus duobus suis Diaconis assistentibus, qui apud eum assistunt more solito; et Celebrans vadit ad Altare, et illud osculatur.

6. Deinde si sit Praelàtus ad suum Faldistorium, sin minus, ad scamnum nudum pro ipso, et suis ministris paratum.

7. Tunc vero per Clericos, et ministros extenditur tobalea seu mappa super Altari, quae parum hinc inde pendeat (*a*).

8. Episcopus hac die nulli manu, nec verbo benedicit, neque recipit osculum manus ab aliquo, sed nec ipse osculatur textum Evangelii, nec incensatur, ut alias.

9. Cum omnes consederint, aliquis ex Beneficiatis vel Cantoribus cotta indutus, ducente Caeremoniario, sibi ipse librum deferens, cum debitis reverentiis Celebranti, Altari cum genuflexione, et Episcopo, accedit ad locum, ubi cantari solet Epistola, et ibi alta voce cantat primam Prophetiam sine titulo, librum manibus tenens: qua finita, et factis iterum debitis reverentiis, redit ad locum suum, relinquendo librum super Abaco, vel mensa, et recitatur per Chorum Tractus

(*a*) *Idest, ut ait Crassus, quae pendeat per palmum ab illo, et non usque ad terram.*

Domine audivi etc. post Prophetiam, quam simul cum Tractu legunt, tam ipse Celebrans, quam Episcopus sedentes in suis sedibus, servientibus Episcopo de Libro solitis Cappellanis, Celebranti vero Subdiacono.

10. Porro sedens quidem legit Celebrans Prophetiam simul cum Tractu, si est Praelatus habens insignia Pontificalia; nam alias ex Rubricis Missalis, atque uti passim docent varii Scriptores Sacrarum Caeremoniarum, Celebrans ubi osculatus est Altare, accedit ad cornu Epistolae, ubi legit voce submissa Prophetiam sine titulo cum Tractu, stantibus Ministris, deinde vero pergit ad suum scamnum cum Ministris, et ibi sedet, donec finiatur per Chorum Tractus (*a*).

11. Finito Tractu per Chorum, Celebrans surgit; et si est Praelatus, stans ante Faldistorium versus ad Altare, dicit: *Oremus*; et Diaconus retro ipso: *Flectamus genua*; Subdiaconus vero: *Levate.* Tunc Episcopus, et omnes genuflectunt, excepto Celebrante, et statim surgunt: si vero non est Praelatus apud Altare: Celebrans autem cantat orationem: *Deus, a quo et Judae etc.* in

---

(*a*) *Joseph Catalani in Cap. XXVI. Caerem. Episc. §. II. n. II.*

tono uniformi, et feriali. Qua finita sedet, sedente Episcopo, et omnibus.

12. Tunc Subdiaconus, deposita planeta plicata, sumptoque libro, vadit cum Caeremoniario, factis debitis reverentiis, ad cantandum alteram Prophetiam in eodem loco; qua cantata, reassumit planetam plicatam, et Celebrans, ac Episcopus legunt ipsam Prophetiam, et Tractum ut prius.

13. Et dum per Chorum cantatur praefatus Tractus, tres Cappellani, seu Cantores, qui Passionem sunt cantaturi, parantur in Sacristia, et circa finem Tractus, ordine, prout in *capite praecedenti* dictum est, cantant Passionem.

14. Episcopus, Celebrans, et omnes, cum inchoatur Passio, surgunt, et stant detecto capite, usque ad ejus finem: sed Celebrans stat apud Altare in cornu Epistolae, et legit secreto ex libro super Altari posito Passionem usque ad finem, versus aliquantulum ad ipsos cantantes, qui Passionem prosequuntur; et ea finita, Diaconus cantat Evangelium, seu reliquum Passionis in tono Evangelii, servatis omnibus, quae superius expressa sunt.

15. Finito Evangelio, Diaconus cum suis sociis, factis debitis reverentiis, recedit, et manet

in habitu, quo reperitur usque ad finem officii.

16. Et interim, si sermo est habendus, ducitur per Caeremoniarium sermocinaturus ante Episcopum, a quo petit tantum Indulgentias absque benedictione; et statim finito Sermone, illas pronunciat, cum non fiat confessio, nec per Episcopum absolutio, nec benedictio.

17. His expletis, vel si non fiat Sermo, statim finita lectione in tono Evangelii, Celebrans accedit ad Altare in cornu Epistolae cum suis Ministris, et cantat Orationes, prout in Missali, advertendo quando dici, et quando omitti debeat *Amen* per Chorum, et *Flectamus genua* per Diaconum: quae verba *Flectamus genua* cum dicuntur, Episcopus, et alii, ut supra genuflectunt, et surgunt cum per Subdiaconum dicitur *Levate*.

18. Antequam dicatur ultima oratio, ministri extendunt longum pannum, seu tapete ante gradus Altaris, vel Presbyterii cum pulvino, et mappa, ut in *praecedenti capite* dictum est.

19. Completis Orationibus, Celebrans, si est Praelatus, accepta mitra, procedit ad Faldistorium, ubi deponit mitram, et casulam, et vadit ad posteriorem partem cornu Epistolae Altaris; et si non est Praelatus, deponit casulam in solito scamno, cui stanti post angulum dicti lateris

Altaris facie versa ad populum, seu Chorum, Diaconus offert Crucem velatam, de Altari reverenter acceptam, qui eam devote accipiens, manu dextera detegit illius summitatem usque ad transversum Crucis; prout supra dictum est; et dum Celebrans cantat *Ecce lignum Crucis*, tenet ei librum, si est Praelatus, assistens, si vero non est Praelatus, Cappellanus: et Episcopus tunc, et omnes, detecto capite, surgunt, et semper dum Chorus respondit: *Venite adoremus*, Episcopus, et omnes alii, excepto solo Celebrante, genuflectunt.

20. Dicto tertio *Ecce lignum Crucis*, et servatis omnibus superius expressis, Celebrans ipse solus, absque Ministris, procedit ad locum, ubi est positum pulvinar antedictum; portans Crucem ambabus manibus elevatam cum reverentia et devotione, nullam tunc Episcopo, neque Altari reverentiam faciens, et eam genuflexus ponit, et firmat cordulis, si opus est, supra dictum pulvinum, adjuvante Caeremoniario, qui paullo ante ponere debet lancem prope ipsum pulvinum ad dexteram adorantis, ubi pecuniae, quae cruci offeruntur, ponantur.

21. Deinde Celebrans, facta reverentia Episcopo, redit ad Faldistorium, seu sedile, ubi de-

ponit calceos, seu crepidas, eodemque tempore Episcopus a suis scutiferis, oras cappae a Cappellanis elevatas subeuntibus, excalceatur; qui fimbrias posteriores cappae per terram trahens, anteriores vero sibi ipse elevans, detecto capite, descendit ad adorationem Crucis, medius inter duos Diaconos assistentes, et gradiens per dictum Tapete, ter cum debita distantia genuflectit ante Crucem, aliquantulum pro unaquaque vice orando, et demum Crucem osculatur, offerens tamen prius cruci pecunias, quas volet offerre: tum redit ad suam sedem, et accipit calceos, quos deposuerat, dictis scutiferis eodem ordine subeuntibus, ut prius; et sedens coopertus legit improperia, quae etiam interim per Chorum cantantur in totum, vel in partem, prout numerus adorantium suadebit.

22. Post Episcopum immediate adorat Celebrans, deposita planeta, et retentis Dalmatica, et Tunicella, si sit Praelatus, et procedit medius inter duos digniores Canonicos; et si non sit Praelatus, ibit ad dexteram dignioris Canonici, casula exutus.

23. Notandum quod in statu Ecclesiastico, non celebrante Episcopo, Praeses, vel Gubernator, aut Vice-Legatus ad Canonici officium facientis si-

nistram incedendo ad adorandam Crucem procedit (*a*).

24. Sequuntur postea Canonici bini, qui omnes deponere debent calceos (*b*), et alii, prout supra expressum est in *capite praecedenti*. Et circa finem adorationis accenduntur cerei, ut ibi.

25. Et Diaconus portat bursam, explicat corporale super Altari, et peracta adoratione accipit Crucem de pulvino, eamque reverenter portat ad Altare, nulli reverentiam faciens: sed Episcopus, Celebrans, et omnes tunc cruci genuflectunt, et statim surgunt, et removetur pulvinus, pelvis cum pecunia, et tapete.

26. Tunc transfertur a Ministro, vel a Caeremoniario Missale ad cornu Evangelii cum cussi-

---

(*a*) *Caerem. Episc. Lib. III. Cap. V. n.* 4.

(*b*) Canonici in adoratione Crucis non possunt incedere cappis extensis usque ad talos, quod solis Canonicis Cathedralis S. Severi concessum est *S. R. C. die* 4. *Sept.* 1745. *Decr. Auth. Tom. IV. n.* 4029. *ad* 1. sed non licet adhibere Clericos, qui elevant cappae extremitates, ut declaravit eadem *S. R. C. die* 10. *Sept.* 1701. *Decr. Auth. Tom. III. n.* 3448. *ad* 4.

no, seu legili, et Acolythi cum paramentis ad Episcopum.

§. III.

De Processione ad Sacellum, et Regressu ad Altare cum SS. Sacramento usque ad finem officii.

1. Mox ordinatur Processio, prout ibi dicitur, et proceditur ad locum, ubi est repositum SS. Sacramentum.

2. Celebrans autem solus paratus procedit immediate ante Episcopum, qui, dum ordinatur Processio, deponat cappam, et accipiat amictum, et stolam supra Rocchettum, ac pluviale nigrum, et mitram simplicem.

3. Cum pervenerit ante fores Sacelli, ubi est Sacramentum, deponit mitram, et statim ingressus Sacellum, genuflectit, mox surgit, et in primo gradu Altaris iterum genuflectit super pulvino, et iterum surgit, et stans imponit incensum in duo thuribula, nihil dicens, ministrante Presbytero assistente; et rursus genuflexus super pulvino, incensat triplici ductu SS.Sacramentum, Sacrista aperiente capsulam, ut supra; et statim

apponitur velum circa humeros Episcopi, ita ut aequaliter hinc inde pendeat, ut supra.

4. Tunc Celebrans accipit SS. Sacramentum de dicta capsula, illudque in manibus Episcopi collocat, et statim genuflectit. Episcopus capit ambabus manibus (velo, quod circa humeros habet, coopertis) Calicem, ubi est SS. Sacramentum, velo coopertum, et illud portat reverenter sub Baldachino, quod deferunt Beneficiati cum cottis, praeeuntibus Cappellanis cum funalibus accensis, et duobus Acolythis cum duobus thuribulis, continuo incensantibus Sacramentum, et revertitur ad Altare ordine, quo venerat, Cantoribus Hymnum: *Vexilla Regis prodeunt etc.* cantantibus.

5. Cum autem pervenerint ad cancellos Altaris, vel ad gradus Presbyterii, ut supra, removetur Baldachinum, et Celebrans genuflexus ante gradus Altaris, accipit Sacramentum de manu Episcopi stantis, illudque reverenter collocat super eodem Altari.

6. Deinde deposito velo, Episcopus genuflectit super pulvino in primo gradu Altaris: mox surgit, et ministrante Presbytero assistente, ponit incensum in thuribulum absque benedictione, atque iterum genuflexus, incensat SS. Sacramentum

triplici ductu; postea, accepta mitra (*a*), revertitur ad Sedem suam, et stans, ponit denuo incensum in thuribulum per Caeremoniarium allatum, ministrante Presbytero assistente, et demum genuflexus super pulvino in plano solii, permanet ita, donec perficiatur Communio.

7. Cappellani autem cum funalibus hinc inde, versis ad invicem faciebus, similiter genuflexi, tenent funalia accensa usque post communionem.

8. Celebrans vero postquam Episcopus ad Sedem suam pervenerit, extrahit SS. Sacramentum de Calice, et ponit super patenam, quem Diaconus, nihil dicens, et sine osculo offert Celebranti, qui illud super corporale ponit, similiter nihil dicens. Diaconus autem ponit vinum, et Subdiaconus aquam in Calice, quae non benedicitur, nihil dicens; deinde offert Calicem Celebranti, qui illum ponit super Altari, ut alias, nihil dicens, et palla tegitur per Diaconum.

9. Tunc accepto thuribulo de manu Diaconi, quod Caeremoniarius ad Altare detulit, facta prius genuflexione SS. Sacramento, illud thurificat, in-

(*a*) *Caerem. Episc. Lib. II. Cap. XXIII. n.* 11. *et Cap. XXXIII. n.* 19. *et n.* 30.

de Crucem, et Altare, dicens omnes versiculos solitos, non tamen incensatur ipse Celebrans, neque Episcopus, sed incensato Altari, Celebrans extra cornu Epistolae stans versus populum sine mitra, si ea utatur, lavat manus, deinde ad medium Altaris cum genuflexione reversus, dicit inclinatus, submissa, sed intelligibili voce: *In spiritu humiliatis etc.* deinde *Orate Fratres etc.* non peragens gyrum, ut alias, nec in medio, sed a latere, ut non vertat tergum SS. Sacramento: tum, omissis omnibus aliis, absolute dicit in cantu feriali: *Oremus praeceptis etc.* et Chorus respondet: *Sed libera etc.* et postquam Celebrans secreto respondit: *Amen*, prosequitur in tono feriali absolute dicens: *Libera nos quaesumus Domine etc.* usque ad *Amen.* exclusive, quod Chorus alte respondet.

10. Quo dicto, Celebrans, facta usque ad terram reverentia, Sacramentum dextera accipit, quod elevat sola dextera altius solito, itaut ab omnibus videri possit, sinistra super Altari retenta; et statim deponit hostiam, illamque dividit in tres partes, quarum unam mittit in Calicem, more consueto, sed sine signo crucis, et nihil dicens: tunc secreto, ut alias dicit: *Perceptio Corporis etc. Panem caelestem etc.* et *Domine non*

sum dignus etc. et continuo *Corpus Domini etc.* quo dicto, signat se cum Sacramento, et illud sumit, et demum nihil dicens, sumit vinum, et aquam cum particula in Calice existente.

11. Quo facto, exportantur funalia extinguenda, et Episcopus surgit, et sedet, accepta mitra, et omnes surgunt, et sedent.

12. Tunc Celebrans, si est Praelatus, accepta mitra, in cornu Epistolae, ut alias, lavat manus: deposita mitra, versus ad medium Altaris, dicit inclinatus, manibus junctis: *Quod ore sumpsimus etc.* si vero non est Praelatus, non lavat manus, sed sumpto Calice, dicit, ut supra: *Quod ore sumpsimus etc.* quo dicto, revertitur, si sit Praelatus, cum mitra ad Faldistorium, si non sit Praelatus, adSacristiam, et exuit se.

13. Et interim Episcopus deponit mitram, et pluviale, et accipit Cappam, et incohantur Vesperae, ut in *Capite praecedenti* dictum est: et in fine Episcopus descendit ad Faldistorium; et dicit ibi Orationem: *Respice quaesumus Domine etc.* qua dicta, si Sermo non fuerit habitus, tunc publicantur per Presbyterum assistentem Indulgentiae.

14. Datur signum salutationis Angelicae cum crotalo: et extinguuntur candelae Altaris.

15. Et Episcopus revertitur ad Domum suam ordine quo venit.

§. IV.

An Episcopus possit hac die Missam Praesanctificatorum privatim celebrare in Sacello sui Palatii.

1. Episcopo Asculano in Apulia petenti licentiam asservandi SS. Sacramentum in sua privata Cappella Feria V. Majoris Hebdomadae, ut sequenti Feria VI. in Parasceve, ante accessum ad publicam sollemnitatem posset Missam brevem ejusdem diei privatim celebrare: S. Congregatio respondit, *sibi volenti Eucharistiae Sacramento refici ea die satis consultum, Caeremoniali Romano docente Regulam, ac Caeremonias servandas celebrante Episcopo Feria VI. in Parasceve* (a).

2. Solet jam Ecclesia Latina ex antiquissima traditione, hac die, et sequenti, a Sacrificio abstinere; nam quae Sabbato celebratur Missa, non quidem ad diem, sed ad noctem ipsam Sabbati pertinet, ut cuique patet legenti illam in Missali hodierno Romano. Antiquissimae traditionis non celebrandi, scilicet, Sacrificium duobus ipsis die-

---

(a) *Die* 15. *Febr.* 1659. *Decr. Auth. Tom. II. num.* 1805.

bus, testis est S. Innocentius I. in sua celebri Epistola I. ad Decentium Eugubinum Episcopum, ubi sic loquitur: *Sexta Feria propter Passionem Domini jejunamus. Sabbatum praetermittere non debemus, quod inter tristitiam, atque laetitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat, Apostolos biduo isto, et in moerore fuisse, et propter metum Judaeorum, se occuluisse. Quod utique non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut Traditio Ecclesiae habeat, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.* Mentionem hujus Epistolae Decretalis faciunt quidem Capitularia Caroli Magni (*a*), ubi etiam docent, in Galliam transisse Romanae Ecclesiae usum, biduo isto ante Pascha Sacrificium non celebrandi: *Nec Missas in Parasceve, aut in Sabbato Sancto, vel divina Mysteria his duobus diebus celebrentur: Canonibus quippe jubentibus, biduo isto Sacramenta penitus non debent celebrari.*

Quaeres: An Sacèrdos, qui hac Feria VI. in Parasceve offerret Sacrificium, graviter esset peccaturus?

Resp. Affirmative; praescriptum enim ab Ecclesia ritum in re magni momenti infringeret. Ita

(*a*) *Lib. VII. Cap. XXXIII.*

Gaspar Juenin (*a*). Tandem consuetudo quae ubique nunc viget, habet vim strictae legis, ac proinde reus esset infracti praecepti Sacerdos, qui hac die, de qua agitur, Sacrificium, offerret (*b*).

§. V.

De Communi Ecclesiae universalis luctu Feria VI. in Parasceve.

1. Cum haec Parasceve dies sit luctus atque tristitiae, ut inter alios Patres tradunt S. Innocentius Papa I. in Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum (*c*), et Patres Concilii IV. Toletani (*d*), recte admonet Caeremoniale Episcoporum, ut *Altare, Sedes Episcopi, sedilia Canonicorum, ac tota tribuna sint penitus denudata*; ad indicandum scilicet luctum ex morte Reparatoris nostri Jesu Christi, qui in Cruce denudatus

---

(*a*) *Comment. Histor. et Dogmat. de Sacramentis Disser. V. de Eucharistiae Sacrificio Quaest. VIII. de ritibus Sacrif. Eucharis. Cap. I. Conclusio* 2.

(*b*) *Idem auctor loc. cit.*

(*c*) *Cap. IV.*

(*d*) *Can. VIII.*

fuit: *Hac ergo die*, inquit Rabanus (a), *Altaria indumentis suis spoliata denudantur, quia in ea Christus suis vestimentis exutus esse legitur, et velum Templi scissum esse, occiso Christo, per Evangelium praedicatur.* Et hac die luminaria in Ecclesia non accendi, memorat laudatus Rabanus, *quia in ipsa, Redemptore crucifixo, sidera obscurabantur.*

2. Episcopus ex eodem Caeremoniali Episcoporum, *neque hac die unquam sedet in sede sua Episcopali in hoc officio, nisi in fine.* Item *Episcopus hac die nulli manu, nec verbo benedicit, neque recipit osculum manus ab aliquo.*

3. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales hodie in digito annulum non gerent, et in Cappella SS. Domini Papae tam mane, quam vespere in lugubri officio cappas violaceas ex lana, dictas *di sajetta*, adhibebunt.

4. In signum luctus ex Christi Domini morte, *paramenta Missae*, ut in Caerem. Episcoporum, *erunt nigri coloris*, et pro Diacono et Subdiacono *planetae ante plicatae, et Pluviale ejusdem coloris pro Presbytero assistente.* In Parasceve fusci, seu nigri coloris in Romana Ecclesia adhibi-

---

(a) *Lib. III. de Instit. Cleric. Cap. XXXVII.*

tas fuisse vestes, testis est vulgatus Alcuinus (*a*). Et teste Jacobo Gaetano (*b*), Romana Ecclesia *colore nigro utitur Feria VI. in Parasceve*. In Orientali quoque Ecclesia antiquitus colorem nigrum moestitiae diebus obtinuisse, docet nos Theodorus Lector (*c*).

5. Caeterum in magnis Urbibus servari hunc ritum vidi, ut Nobiles praesertim, viri aeque, ac mulieres, hac die, vestibus nigris utantur in signum scilicet tristitiae de passione et morte Christi Domini, ideoque tunc etiam curru abstinent, nec per vias populares strepitus fiunt, immo omnes submissa voce loquuntur, et in Alma Urbe neque horarum sonitum in publicis Horologiis auditur.

6. Observandum hoc loco est, quod cum praesens haec dies sit luctus ac moeroris, non solum in Ecclesiasticis Caeremoniis peculiariter requiruntur doloris exteriora signa tanto mysterio congrua, verum et laudabiliter a Christifidelibus singulari abstinentia in cibo ac potu vacatur, item et ab omni laetitiae signo prorsus abstinendum est in

---

(*a*) *De Divinis Officiis Cap. XVIII.*

(*b*) *In ordine suo Romano XIV. Cap. LIII.*

(*c*) *Lib. I. Historiae.*

communi hoc Ecclesiae luctu, in quo sacro silentio ad moerorem, pietatem, fletum, poenitentiam, et contritionem invitamur; sic enim decet, ut Christo pro nobis passo etiam vel insensatis elementis compatientibus, et ipsi, pro quibus talia pati dignatus est, propria deflentes peccata, moeroris signa interius exteriusque probamus, ut moriente Domino jugiter Crucis mortificationem in nostro corpore portemus (*a*).

CAPUT III.

DE COMPLETORIO HUJUS DIEI, ET DE MATUTINO SABBATI SANCTI SERO HUJUS FERIAE VI. ABSOLVENDO.

§. I.

De Completorio.

Omnia servantur, quae sunt praescripta in Feria Quinta praecedenti *Cap. V. §. I. Tit. VIII.*

(*a*) *Andr. Piscara Castaldo Praxis Caeremoniarum Lib. III. Sect. VII. de Officio Fer. VI. In Par. Cap. V. n.* 14. 15.

§. II.

De Matutino Sabbati Sancti.

1. Sedes Episcopalis, et Altare erunt nuda, sicut heri; Crux tamen detecta.

2. Tota tribuna, pavimentum, et sedilia Canonicorum pariter denudata, ut heri.

3. Faldistorium nudum cum pulvinaribus coloris nigri.

4. Episcopus solito comitatu ad Ecclesiam, ut in Feria IV. ad Matutinum, deinde ad Altare majus pro oratione, genuflectens Cruci, sicut et caeteri omnes.

5. Procedit ad Sedem suam, et cantatur Matutinum cum Laudibus, in quibus omnia pro primo Matutino dicta observantur.

6. In fine Laudum ad ℣. *Christus factus est etc.* additur: *Propter quod et Deus exaltavit etc.*

7. Datur signum Salutationis Angelicae cum Crotalo.

8. Omnes tandem modeste recedunt.

TITULUS X.

SABBATO SANCTO.

CAPUT I.

DE SABBATO SANCTO.

Celebrante Episcopo.

§. I.

De Praeparandis pro omnibus Functionibus hac die persolvendis.

In Secretario.

1. Stola violacea pro Diacono.
2. Bugia cum laterna includente Candelam, et lingna sulfurata.
3. Arundo circumornata, habens in summitate tres candelas albas in suo pede ligneo locata.
4. Stola, dalmatica et tunicella albi coloris pro Diacono et Subdiacono in Missa.
5. Vasa florum pro Altari Majori.

In Aula Minori paramentorum.

1.* Pluvialia violacei coloris pro Ministris, vel saltem unum pro Ministro de Baculo, ut dictum est supra in Festo Purificationis B. M. V.

2. Item Pluvialia alba pro iisdem.

3. Planeta plicata violacea pro Cruciferario.

Si fuerit Archiepiscopus additur Tunicella alba pro eodem in Missa.

4. Intorticia pro elevatione ad Missam.

Pro Ordinibus conferendis adduntur sequentia.

1. Vasa ad lavandas manus cum medulla panis pro Sacerdotibus noviter Ordinatis, et Mappulae ad eas tergendas.

2. Missalia pro iisdem.

In Aula Majori Paramentorum.

1. Pluvialia, planetae, et planetae plicatae coloris violacei pro Dignitatibus, et Canonicis.

2. Pluvialia, planetae, dalmaticae, et tunicellae pro iisdem, coloris albi.

Pro Ordinibus conferendis, adduntur.

Planetae, dalmaticae, et tunicellae cum stolis et manipulis albi coloris pro Ordinandis.

In Subterraneis ejusdem Aulae.

1. Silex, et alia necessaria pro accendendo igne.
2. Carbones, et ligna.
3. Forceps ferrea.

Si voluerit Episcopus in sua Sede Pontificali benedicere novum ignem, tunc additur.

1. Foculus aeneus cum carbonibus super suo tripode.
2. Unci ferrei duo pro deferendo foculo.

In Altari Majori.

1. Altare majus cum Cruce, et septem candelabris argenteis, ac lampadibus aptatis pro recipiendo faciliter lumine.
2. Duo pallia ad Altare majus applicantur, et aptantur, ut, cum opus fuerit, faciliter removeri cito possit violaceum, et remaneat album, ut infra dicetur.
3. Paramenta pro Episcopo super illud, videlicet: gremiale, annulus, planeta, chirothecae, dalmatica, tunicella, et stola violacei coloris, crux pectoralis, manipulus, et cingulum violacei coloris, alba, amictus: omnia velo violaceo cooperta.

Insuper mitra simplex, pectorale, et pluviale violacei coloris.

4. Pastorale ad cornu Epistolae.

5. Pes ligneus pro arundine in cornu Evangelii.

6. Missale pro Praeconio in parte posteriori Altaris ad cornu Evangelii.

7. Tegumentum cum pulvinari albi coloris in ambone pro Praeconio, et ibidem gradus lignei pro ascendendo ad Cereum, et virga cum candela ex eo accendenda.

8. Praeparetur etiam Cereus Paschalis praegrandis, qui ponitur in aliquo magno candelabro condecenti, regulariter in latere Evangelii, vel alibi pro situ loci, et apud illum locatur pulpitum, sive legile coopertum panno albo serico vel auriphrygiato, in Ecclesiis ambone destitutis.

9. In eodem cereo, cujus lychnus cera perfusus aptus sit ad facile lumen recipiendum, adsint quinque foramina in anteriori ejus parte pro quinque granis incensi in eo infigendis.

10. Legile nudum pro Prophetiis, deinde cum sua veste alba pro Evangelio.

11. Duo Scabella, sive scamnum ad cornu Epistolae prope Altare pro Diacono et Subdiacono.

In Abaco, seu Credentia ejusdem.

1. Pelvis argentea cum quinque granis incens in Cereo infigendis.

2. Thuribulum cum Navicula incenso referta.

3. Vas aquae benedictae cum aspersorio.

4. Manipuli, et planetae plicatae violaceae pro Diacono et Subdiacono.

5. Manipulus, stola, et dalmatica albi coloris pro Diacono ad Praeconium.

6. Pelvis cum sandaliis albi coloris, et velo humerali violaceo.

7. Candelabra cum cereis albis pro Ceroferariis.

8. Alia paramenta Pontificalia coloris albi pro Missa videlicet: mitra pretiosa, et mitra auriphrygiata, gremiale, planeta, chirothecae, dalmatica, tunicella, stola, cingulum album. (*Si fuerit Archiepiscopus Pallium cum velo, et spinulis in capsula*), et velum sericum violaceum supra.

9. Duo manipuli albi coloris pro Diacono et Subdiacono.

10. Vasa argentea ad lavandas manus, et mantile ad abstergendum.

11. Cussinus albus, sive legile argenteum pro Missali.

12. Missale, et in eo Manipulus albus inclusus pro Episcopo.

13. Velum humerale album pro Subdiacono.

14. Calix Episcopi cum Purificatório, patena cum duabus Hostiis, palla, velo, et bursa cum corporali.

15. Vasa argentea pro praegustatione, et ampullae vini et aquae.

16. Tabella Indulgentiarum.

17. Velum album sericum pro tegendis in fine paramentis Missalibus super Altari.

Pro Ordinibus conferendis, addantur:

1. Pontificale Romanum.
2. Forfices pro Tonsurandis.
3. Claves Ecclesiae, et campanula pro Ostiariis.
4. Liber Lectionum, seu Breviarium pro Lectoribus.
5. Rituale pro Exorcistis, vel Pontificale seu Missale.
6. Candelabrum cum cereo extincto, et urceolus vacuus pro Acolythis.
7. Calix vacuus cum patena, pelvicula cum urceolis vini et aquae, et manutergio, et Epistolarium pro Subdiaconandis.
8. Item Evangeliarium pro Diaconandis.
9. Oleum Catechumenorum, Calix cum vino

et aqua, et patena cum Hostia, et mappulae pro Sacerdotibus.

10. Cerei pro omnium Ordinatorum oblatione.

11. Ad vasa Argentea pro lotione manuum Episcopi additur medulla panis.

12. Pyxis cum Particulis.

13. Velum oblongum pro Communione.

14. Calix cum mappula pro purificatione.

In Presbyterio, et Choro.

1. Sabbato Sancto summo mane vestiuntur Altaria.

2. Sedes Pontificalis ornatur cortinis duplicibus, videlicet intus albis, exterius violaceis.

3. In reliquis ornatur Ecclesia, Altare, Abacus, et Chorus prout in Dominicis Adventus, et Quadragesimae, sed Cerei relinquuntur extincti donec erit tempus accendendi, ut infra.

4. Presbyterii, et Chori pavimentum tapetibus undique stratum.

5. Faldistorium cum veste, et pulvinaribus violaceis, deinde albis pro mutatione paramentorum.

6. Missale cum suis tegumentis violaceo, et albo.

7. Liber Canonis, et Bugia.

8. Missale pro Litaniis.

9. Graduale, et Antiphonarium pro responsorio: *Sicut Cervus etc.*

Si aderunt Ordinandi.

1. Sedilia pro iisdem ante Cancellos Presbyterii lateris Evangelii.

2. Faldistorium argenteum cum veste, et pulvinaribus albis pro conferendis ordinibus.

3. Pontificale cum notis pro Schola.

In Baptisterio pro Benedictione Fontis, et pro Baptizandis.

1. Mensa mantili cooperta extra Cancellos Baptisterii, et super ea collocetur ciborium Fontis.

2. Aqua munda intra Fontem, projecta veteri in Sacrarium.

3. Vasa decentia pro extrahenda aqua benedicta.

4. Faldistorium cum duplici veste violacea, et alba.

5. Sedilia Canonicorum extra dictos Cancellos pannis viridibus cooperta.

In Abaco, seu Credentia ejusdem Baptisterii.

1. Abacus seu Credentia mantili albo cooperta.

2. Mappula ad tergendas manus.

3. Vas pro aqua benedicta cum aspersorio.

4. Pelvis argentea cum ampullis argenteis cum Chrismate, et Oleo Catechumenorum.

*

5. Vasa argentea ad lavandas manus cum medulla panis, et mantilia pro gremio, et ad easdem tergendas.

Pro Baptismo.

1. Rituale Romanum, et Stolae violaceae pro Catechismo Baptizandorum a Presbyteris faciendo.

2. Pelvicula cum sale, et mappula linea.

3. Vascula duo cum bombycio madido Sanctis Oleis, alterum Chrismatis, alterum Catechumenorum.

4. Bombycium siccum pro abstersione locorum inunctorum.

5. Paramenta albi coloris, videlicet: Mitra auriphrygiata, pectorale, pluviale, et stola, cooperta velo serico albo.

6. Pars quarta Libri Pontificalis magni (*ultimae editionis Urbini* 1819. *Typis Vincentii Guerrini. Venum habentur Romae apud Marianum De Romanis*) pro administratione Baptismi ab Episcopo facienda.

7. Lintei ad detergenda capita Infantium.

8. Vestes candidae Infantibus imponendae.

9. Cerei accendendi, et Infantibus tradendi.

Si vero Episcopus vellet etiam ipse Catechizare Baptizandos, tunc additur Faldistorium veste vio-

lacea coopertum super tapete ad valvas Ecclesiae; et ibidem procedit ad Catechismum Infantium, prout notatur in Pontificali supra memorato n. 6.

Pro Confirmatione.

In proximo Sacello prope Baptisterium :

1. Pelvis argentea cum vasculo madido Sancto Oleo Chrismatis.

2. Bombycium siccum pro abstersione frontis Confirmandorum.

3. Vasa argentea ad lavandas manus cum medulla panis, et mantilia pro gremio, et ad easdem tergendas.

4. Faldistorium veste coloris albi ornatum super Altari ejusdem Sacelli.

5. Liber Pontificalis.

6. Liber Pontificalis cum notis pro Schola.

§. II.

De Principio Officii usque ad Benedictionem novi ignis.

1. Summo mane signum cum crotalo, et recitantur Horae minores in Choro usque ad Sextam inclusive cum candelis extinctis.

2. Dicta hora Sexta excutitur e silice ignis extra Ecclesiam, et accenditur, et per aliquem Sacerdotem, vel Canonicum paratum amictu, alba,

cingulo, stola, et pluviali violaceo benedicuntur novus ignis, et grana incensi, prout in Missali.

3. Vel si magis placet, quod melius erit per ipsummet Episcopum, tunc:

4. Completa Sexta, Canonici et Clerus ad Episcopum, et Diaconus et Subdiaconus in albis prope Altare in propriis locis.

5. Episcopus solito comitatu ad Ecclesiam, et post Orationem ante Altare majus, facta Cruci genuflexione, ad Sedem suam cum Diaconis assistentibus (*a*).

6. Diaconus et Subdiaconus in albis, facta genuflexione Cruci ad Episcopum, quos sequuntur Acolythi cum paramentis.

7. Episcopus, non recedentibus Diaconis assistentibus, per Diaconum et Subdiaconum induitur

---

(*a*) Ecclesiam ingressus Episcopus cum solito comitatu post Orationem ante Altare Majus, ubi aderunt Diaconus et Subdiaconus parati in albis, facta Cruci genuflexione vadit ad Sedem suam cum Diaconis assistentibus in habitu Chorali ex *Decr. S. A. C.* 19. *Aprilis* 1681. licet nostrum Caeremoniale enunciet tantum Diaconum et Subdiaconum, uti notat Memor. Rituum, et innuit Horatius Christiani in sua praxi *Pontif. Majo. Hebdom. Sect. V. cap. II.*

amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, et mitra simplici; et accedit Minister cum Pastorali.

8. Episcopo parato, Diaconus et Subdiaconus sua petunt loca, et planetas plicatas accipiunt.

9. Praecedente Subdiacono cum Cruce, ac Ministris cum Vase aquae benedictae, et aspersorio, thuribulo, et navicula, et granis incensi in aliquo bacili argenteo, ac sequente Clero, et Canonicis, ultimo Episcopus cum pastorali et mitra medius inter Diaconos assistentes procedit ad primariam portam Ecclesiae; ibique sedens deponit Mitram, ac surgens, adstantibus Ministris cum Cruce, vase aquae benedictae, et aspersorio, thuribulo, et navicula, et granis incensi in bacili argenteo; ac accedentibus Ministris de libro, et bugia, dicit sine cantu (*a*). *Dominus vobiscum*, et *Oremus*, et tribus Orationibus benedicit ignem.

(*a*) Est hic sane antiquus Ritus Pontificiae Cappellae, de quo praestat audire, quod scribit Crassus in suo Caeremoniali *lib. II. cap. XLVIII.* » Sed in hoc adverte, quoniam, ut Innocentio Tertio placuit, benedictio novi ignis, ac incensi, quae fit in principio Officii hujus diei, nullatenus cantari, sed omnino voce tantum intelligibili proferri debet: quod Cappella Palatii Apostolici illibate servat «.

10. Deinde adhuc stans, unica Oratione benedicit grana incensi, genuflectente tunc in loco suo Acolytho, et pelvim elevante.

11. Interim Thuriferarius imponit in thuribulo novum ignem cum forcipe, et Presbyter assistens accedit ad Episcopum.

12. Episcopus imponit incensum more solito cum osculis, et benedictione, deinde aspergit ignem, et grana dicens Antiph. *Asperges me etc.* et eadem thurificat (*a*).

13. Completa benedictione, omnes eodem ordine revertuntur ad Altare majus.

(*a*) Memoriale Rituum Maj. Hebd. statuit, benedictionem novi ignis faciendam esse ab Episcopo in sua Sede Pontificali, ait enim: *Sedente Archiepiscopo cum omnibus, duo Acolythi deferentes foculum novi ignis, et retro post eos alter cum tripode, facta genuflexione Altari, accedunt ante Sedem Archiepiscopi, praecedente illo de tripode; et foculo super tripodem collocato, se retrahunt hinc inde.* Nos autem secuti sumus praxim fere omnium Cathedralium, ac etiam Basilicae Vaticanae, ubi Episcopus procedit ad primariam Portam Ecclesiae pro benedicendo novo igne, qui juxta Caerem. Episcoporum accenditur extra Ecclesiam.

14. Episcopus cum pervenerit ante Altare majus, facta Cruci genuflexione, ascendit ad Sedem suam cum Diaconis assistentibus, ubi per manus Diaconi et Subdiaconi deponit paramenta, non recedentibus Diaconis assistentibus, et accepta Cappa, sedet in sua Sede, benedicit, et imponit incensum in thuribulum, ministrante Presbytero assistente, more solito, idest cum osculo cochlearis, et manus Episcopi (*a*).

§. III.

De Processione cum arundine usque ad Praeconium.

1. Si vero Episcopus ex aliqua causa urgenti non benedicit ignem (*b*), hora competenti asso-

---

(*a*) Joseph. Catalani Commen. in *cap. XXVII. Caerem. Episc. lib.* 11. §. *V. n.* 1.

(*b*) Juvat hic referre Decretum S. R. C. sub die 19 *Aprilis* 1681. quae ad 2. sic respondit: *Ne tamen contingat Episcopum toties vestiri, et spoliari vestibus, satius esset, et convenientius, prout etiam magis usitatum, si benedictionem ignis non per se, sed per aliquem Canonicum fieri praeventive mandaret, cum illa non sit tantae solemnitatis, sicut reliquum officium. Dec. Aut. Tom. III. n.* 2797.

ciatus more solito venit ad Ecclesiam cum Cappa, erat, ascendit Sedem, imponit et benedicit incensum, ministrante Presbytero assistente, ut supra.

2. Subdiaconus Epistolam cantaturus, paratus amictu, alba, cingulo, et planeta violacea ante pectus plicata, capit Crucem, et factis debitis reverentiis, vadit cum Diacono, et aliis Ministris extra Cappellam ad capiendum grana incensi, et arundinem praedictam in Sacristia vel alio, hoc ordine:

3. Praecedit aliquis Mazzerius, seu minister cum Baculo, tum Caeremoniarius, sequuntur duo Acolythi cum cottis, quorum, qui est a dextris portat thuribulum cum navicula, alter a sinistris nihil fert: post eos incedit Subdiaconus cum Cruce, et post eum Diaconus paratus Dalmatica albi coloris, manibus junctis; post Diaconum sequuntur duo, aut quatuor Acolythi, seu Cappellani cum Cottis.

4. Interim Episcopus, Canonici, et alii de Choro sedent, expectantes.

5. Cum pervenerit ad Sacristiam, seu locum deputatum, ubi jam erunt praeparata grana praedicta, et arundo cum tribus Candelis, ac ignis novus, accenditur una parva candela ex dicto

igne, includenda in laterna, quam portat Caeremoniarius.

6. Diaconus capit arundinem, unus Acolythus bacile cum quinque granis incensi, et revertuntur hoc ordine:

I. Primo: Dictus Mazzerius seu Minister cum Virga.

II. Deinde duo Acolythi; videlicet unus cum bacili, et granis incensi, quod portat ambabus manibus elevatum, a dextris; et alter cum thuribulo et navicula, a sinistris.

III. Tum Subdiaconus portans Crucem.

IV. Post, Diaconus cum arundine praedicta, ad ejus sinistram Caeremoniarius cum candela una parva, vel duabus accensis.

V. Et ultimo duo, vel quatuor Acolythi praedicti cum cottis.

7. Et sic proceditur e Secretario per Navem lateralem usque ad Portam Majorem Ecclesiae.

8. Cum Diaconus ingressus fuerit Ecclesiam, inclinat caute arundinem, et Caeremoniarius deferens candelam accensam de novo igne, accendit unam ex tribus candelis in summitate arundinis positis, et statim Diaconus arundinem elevat, et tam ipse, quam alii omnes, et Episcopus genuflectunt, praeter Subdiaconum ferentem Crucem,

et Diaconus alta voce cantat: *Lumen Christi.* Quo audito, Episcopus, et omnes surgunt, et Chorus respondet in eodem tono: *Deo gratias.*

9. Deinde Diacono procedente ad medium Ecclesiae, iterum inclinat arundinem, et accenditur altera candela, ut prius, et eodem modo cum omnibus genuflexus, altiori voce cantat: *Lumen Christi*; et similiter respondetur per Chorum: *Deo gratias.*

10. Idem tertio fit, et dicitur ante Altare, et accenditur tertia candela, et Diaconus adhuc altiori voce cantat, et respondetur ei per Chorum, ut supra.

11. Tunc Episcopus, et omnes sedent, ipsi vero Ministri surguut, et factis reverentiis Altari, et Episcopo secedunt ad locum ubi cantandum est: *Exultet jam etc.*

§. IV.

De Praeconio.

1. Diaconus deposita arundine in manibus unius ex dictis Acolythis, accipit de manu Caeremoniarii Librum, et accedens cum debitis reverentiis ante Episcopum, comitante eodem Caeremoniario, petit ab eo benedictionem absque osculo manus, dicens: *Jube Domne etc.* cui Episcopus respondet: *Dominus sit in corde tuo, et labiis tuis., ut digne, et competenter annuncies suum Paschale Praeconium. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen*, et manu benedicit.

2. Diaconus, accepta benedictione, accedit, factis debitis reverentiis, ad legile; ponit super eo librum apertum, quem adolet incenso triplici ductu, sed non signat librum, nec se, prout in Evangelio.

3. Ministri circa legile locantur hoc pacto: Subdiaconus cum Cruce versa ad Episcopum, et Acolythus thuriferarius stant a dextris ipsius Diaconi: Acolythus cum arundine, et alter cum granis incensi a sinistris, vertentes facies, prout ipse Diaconus: et cum Diaconus incipit cantare: *Exultet jam etc.*, Episcopus, et omnes surgunt, detectis capitibus.

4. Diaconus prosequitur cantum, et suo tempore infigit quinque grana incensi in modum Crucis, quae respiciat faciem Episcopi, et pariter suo tempore illuminat cereum cum una ex tribus candelis in arundine positis, prout in Missali: et advertat Diaconus quod si Imperator non est coronatus, debet dicere: *Electum Imperatorem nostrum N.* Ipse ritus servatur Romae, verum in Regnis aliis Regibus quam Imperatori subjectis, non quidem Imperatoris nomen, sed Regum ipsorum Regnorum memoratur nomen (*a*). Unde in hoc Regno Neapolitano ejus loco, dicitur: *Respice etiam ad devotissimum Regem nostrum N.*

5. In Ecclesiis vero, in quibus Diaconus pro Praeconio vadit ad Pulpitum, uti in nostra Cathedrali Basilica Sulmonensi, Diaconus, accepta Benedictione, ut supra ascendit Pulpitum hoc ordine (*b*).

I. Acolythus cum granis incensi.
II. Acolythus cum arundine.
III. Diaconus cum Libro.
IV. Subdiaconus cum Cruce.
V. Thuriferarius cum thuribulo.

(*a*) *Josephi Catalani Comment. in Cap. XXVII. Caerem. Ep. Lib. II. n. 3.*

(*b*) *Memor. Rit. Maj. Hebd. huc die.*

6. In dicto pulpito supradicti quinque rectam lineam efforment, et vertant faciem, prout vertit Diaconus cantans, qui ad suam dexteram habebit Subdiaconum cum Cruce, et ad dexteram ipsius Subdiaconi Thuriferarium; ad sinistram vero Diaconi stabit Acolythus cum Arundine, et ad sinistram ipsius Acolythus cum granis incensi.

7. Diaconus in medio supradictorum Ministrorum aperit, ac thurificat Librum: tum incipit cantare Praeconium, et omnes surgunt, ut dictum est supra.

8. Postquam Diaconus dixerit illa verba: *Curvat Imperia*, omnes de Choro sedent (*a*), et interim amovetur per Acolythum Cereus e Candelabro, et Diaconus in eo infigit quinque grana incensi per modum Crucis hoc ordine.

1.
4. 2. 5.
3.

9. Hoc facto, et reposito Cereo in loco suo, Diaconus prosequitur Praeconium, omnibus item surgentibus.

10. Post verba illa: *Rutilans ignis accendit*, Diaconus accendit Cereum ex Arundine, et omnes de Choro interim sedent.

(*a*) *Memor. Rit. Maj. Hebd. loc. cit.*

11. Post verba: *Apis mater eduxit*, Diaconus cessat a cantu, donec Acolythus cum candelula virgae superinflexa, ac e Cereo accensa, accendat proximas lampades, et omnes de Choro sedent.

12. Accensis lampadibus, ac omnibus surgentibus, Diaconus prosequitur Praeconium.

13. Finito cantu per Diaconum omnes inde recedunt cum debitis reverentiis; Diaconus vero, celebraturo Episcopo, deponit Dalmaticam, sumpta stola violacea, et Subdiaconus planetam, et sic in albis accedunt ad Episcopum.

§. V.

De Nona, et Prophetiis usque ad Benedictionem Fontis.

1. Episcopus stans capite detecto, dicit secreto *Pater noster*, et mox sedet, et Chorus recitat Nonam.

2. In fine Nonae Episcopus descendit de Sede, et cum dicitur *Christus factus est etc.* procumbit super Faldistorio, scilicet cum Diaconis assistentibus, extensa Cappa, et sibi caudam trahens, ut alias; quomodo docet Memoriale Rituum Majoris Hebdomadae, et est usus complurium Ec-

clesiarum (*a*), et genuflexus dicit Orationem *Respice quaesumus Domine etc.* et terminatur triduum Passionis pro genuflexionibus (*b*).

3. Finita Oratione, Episcopus surgit, et revertitur ad Sedem suam cum Diaconis assistentibus, et accedit etiam Presbyter assistens cum Ministris de libro et bugia.

4. Subdiaconus in albis cum sandaliis albi coloris, et velo humerali violaceo ad Episcopum cum ministris de more (*c*).

5. Episcopus sedens, accipit sandalia alba, quia illa non mutat, legit Psalmum: *Quam dilecta etc.* cum *Gloria Patri etc.* et alias Orationes, et Versiculos consuetos. Interim Subdiaconus, deposito velo apud credentiam, redit ad scabellum suum.

6. Episcopus autem completis Orationibus prae-

(*a*) *Josephi Catalani loc. cit. §. XII. Commen. n.* 1.

(*b*) *Juxta Ritum Ecclesiae Beneventanae post Orationem* Respice etc. *cantatur Planctus* Stabat Mater *loco Officii Mariani, ut ex cit. Memor. Rit.*

(*c*) *Memor. Rit. Maj. Hebd. hac die.*

paratoriis, deponit Cappam, et lavat manus more solito, alias explicato.

7. Interim Diaconus et Subdiaconus, sequentibus Acolythis cum Paramentis Missalibus Pontificalibus coloris violacei, accedunt ad Episcopum.

8. Recedentibus Presbytero et Diaconis assistentibus ad loca sua inter Canonicos, Episcopus paratur omnibus indumentis Pontificalibus, et manipulo coloris violacei, non tamen Pallio (si sit Archiepiscopus) ac mitra simplici a dictis Diacono et Subdiacono in albis assistentibus.

9. Et cum Episcopus accipit Planetam, pariter Canonici capiunt paramenta ipsis congruentia, coloris violacei, et ipsi Diaconus et Subdiaconus planetas ante plicatas, et manipulos ejusdem coloris, et Canonicus Presbyter assistit cum Pluviali ejusdem coloris; et alii duo Diaconi, ubi est consuetum, assistunt ut alias.

10. Cum Episcopus fuerit paratus, descendit cum mitra, et baculo de sua Sede, et comitantibus praedictis assistentibus et ministris, accedit ad Altare.

11. Episcopus ante Altare cum assistentibus, ubi deposita mitra in plano per Diaconum Evangelii, et Subdiaconum, ascendit medius inter dictos Diaconum et Subdiaconum, et osculatur

Altare in medio, deposito interim baculo, remanentibus in plano Presbytero, et Diaconis assistentibus; et facta Cruci reverentia, mox recepta mitra et baculo revertitur ad eamdem suam sedem cum Presbytero, et Diaconis assistentibus: Diaconus vero Evangelii, et Subdiaconus de Epistola, si assistant alii duo digniores Diaconi, sedent in scamno, aut scabellis apud cornu Epistolae, ut in Missa sollemni Episcopo celebrante.

13. Locatur in medio Chori, vel Presbyterii pulpitum, sive legile nudum (*a*). Episcopus sedens, accipit gremiale (*b*), et omnibus consedentibus, ducitur a Caeremoniario aliquis Acolythus, sive cantor indutus cotta, qui factis debitis reverentiis Altari, et Episcopo, cantat sine titulo primam Prophetiam: qua finita accedit cum de-

(a) *Et nisi pro Ecclesiarum veteri more non legantur Lectiones in Ambone*, *ut docet* Jos. Cata. loc. cit. §. XV. Commen. II. *Lectiones*, *ait Martene*, *in Ambone recitatas fuisse I. Ordo Rom*. Et ascendit Lector in ambone. Non pronunciat *Lectio libri Genesis*, sed inchoat *In principio* plaue. Similiter et alias Lectiones.

(b) *Memoriale Rituum Majoris Hebdomadae in hac die.*

bitis reverentiis ad osculandam manum Episcopi antequam surgat pro Oratione cantanda.

14. Tum Episcopus surgit, deposito gremiali et mitra, dicens: *Oremus*; et Diaconus assistens ad ejus dexteram, dicit *Flectamus genua*, et omnes genuflectunt excepto Episcopo; alter vero ad sinistram *Levate* et omnes surgunt. Ipse vero Episcopus prosequitur Orationem, stans manibus extensis, sustinente librum Presbytero assistente more solito: sed ubi non assistunt praedicti duo antiquiores Diaconi, servient in hujusmodi ministerio, prae aliis, praedicti Diaconus et Subdiaconus Evangelii et Epistolae.

15. Cantantur deinde aliae Prophetiae ab Acolythis, vel Cantoribus eodem ordine, et easdem Episcopus legit apud sedem suam, et post quartam, octavam, et undecimam Lectionem, seu Prophetiam, Episcopus legit ex libro Tractum, accedentibus Ministris, dum cantatur a Choro (*a*),

---

(*a*) In Caerem. Episc. Lib. II. Cap. XXVII. n. 15. *Et post quartam, octavam, et undecimam lectionem, seu Prophetiam, Episcopus legit ex Libro Tractum accedentibus Ministris, dum cantatur a Choro.* Porro ex Mem. Rit. et aliis auctoribus qui Hebd. Sanct. Ritum exponunt, Pro-

et pariter per eosdem Diaconos assistentes suo tempore dicitur: *Flectamus genua*, et *Levate*, ut in Missali. Post ultimam Lectionem non dicitur: *Flectamus genua.*

16. Interim dum Prophetiae cantantur Presbyteri catechizent Catechumenos, sive Infantes baptizandos, et praeparent ad Baptismum.

17. Finitis lectionibus, si Episcopus voluerit ipsemet benedicere Fontem, quod valde convenit, deposita planeta, et sumpto pluviali violaceo, ac baculo ibit praecedente Cruce, cum Cereo benedicto accenso, qui portabitur immediate ante Crucem, et Canonicis paratis, ac aliis de Clero, ad illum benedicendum, et alia fiunt, et cantantur, etiam circa Baptismum, prout in Missali.

18. Si vero non potuerit Episcopus id praestare, destinabit aliquem ex dignioribus Capituli, qui pluviali paratus, comitantibus aliquot Acolythis, et Ministris cum Cereo accenso, et Cruce, ea omnia faciet.

19. Quibus peractis, si aderunt Catechumeni

---

phetias, quae cantantur in Legili, Episcopus private legit apud Sedem suam. *Ita Jos. Cat. loc. cit. Com. n. XI.*

baptizentur more solito ab Episcopo, aut a digniore ex Capitulo, ut in *numero praecedenti*, et per octo dies ante in ipsa Ecclesia, nisi periculum immineat, nullus Infans baptizetur.

§. VI.

De Benedictione Fontis Baptismalis ab Episcopo facienda.

1. Finitis Prophetiis, Diaconus et Subdiaconus depositis manipulis et planetis ad Episcopum, qui recedente Presbytero assistente tantum, paramenta missalia deponit, et accipit pluviale violaceum, pectorale, et mitram simplicem (*a*).

2. Interim Acolythus de Cereo amovet illum de Candelabro maguo, et descendit cum illo prope Crucem.

3. Accenduntur Cerei in Candelabris ad Credentiam.

4. Clerici se disponunt hinc inde in Presbyterio pro Processione.

5. Parato Episcopo, Diaconus et Subdiaco-

(*a*) *Memor. Rit. Maj. Hebd.*

nus ad propria loca pro sumendis planetis plicatis tantum, deinde inter Canonicos.

6. Schola incipit Tractum: *Sicut Cervus* etc. et proceditur ad benedictionem Fontis hoc ordine:

I. Mazzerius.

II. Clerici Seminarii, et alii.

III. Mansionarii.

IV. Schola cantans ut supra.

V. Familiares Episcopi cum Scutiferis hinc inde.

VI. Minister cum Cereo.

VII. Cruciferarius paratus cum Cruce inter Ceroferarios.

VIII. Canonici parati, inter quos Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus eorum ordine.

IX. Episcopus cum mitra et baculo inter Diaconos assistentes.

X. Ministri de Pastorali, mitra, libro, et bugia.

XI. Vicarius Generalis, et Protonotarii.

7. Omnes, factis reverentiis Episcopo et Altari, hinc inde ad Fontem.

8. Ibi sic situantur:

I. Mazzerius ad ingressum septi.

II. Clerici, et Mansionarii cum Schola in gyrum post Sedilia Canonicorum.

III. Acolythus Cerei, et Cruciferarius cum Ceroferariis prope Cancellos Fontis.

IV. Canonici, Vicarius Generalis, et Protonotarii in Sedilibus intra septa.

V. Episcopus cum suis assistentibus contra Crucem ante Cancellos.

9. Episcopus vero, antequam ad Benedictionem Fontis procedat, depositis baculo et mitra, ac ministrante librum Presbytero assistente, cantabit in tono feriali *Dominus vobiscum*, et deinde Orationem *Omnipotens sempiterne Deus respice etc.* tenens semper manus junctas. Haec autem prima Oratio, si Fons Baptismalis sit in Ecclesia, seu Cappella separata, dicetur in ipso ingressu Ecclesiae, seu Cappellae; si autem fuerit in Ecclesia, ubi Celebratur, ante Cancellos Presbyterii dicetur (*a*).

10. Deinde Acolythus Cerei, Cruciferarius, et Ceroferarii intra Cancellos prope Fontem.

11. Episcopus accepta mitra, accedit ad Fontem, et se sistit versa facie ad Orientem: et tunc praedicti Cruciferarius et Comministri vertunt se contra Episcopum; Acolythus autem Cerei in latere Fontis ad dexteram Episcopi.

12. Episcopus, deposita mitra, stans, dicit in tono feriali: *Dominus vobiscum*, et alteram Ora-

---

(*a*) Joseph. Catalani *loc. cit. Comment. N. XII.*

tionem : *Omnipotens sempiterne Deus*, *adesto etc.*

13. Deinde subjungit Praefationem, ut in Missali, manibus adhuc junctis : intra quam Praefationem juxta proprios Rubricae locos haec peragit.

1. Post verba : *Gratiam de Spiritu Sancto*, manu extensa dividit aquam in modum Crucis, et eam statim linteo extergit.

2. Post verba : *Non inficiendo corrumpat*, aquam manu tangit, et tergit.

3. Post verba : *Indulgentiam consequantur*, facit tres Cruces supra fontem manu dextera.

4. Post verba : *Super te ferebatur*, manu aquam dividit, et effundit eam versus quatuor mundi partes Orientalem, Occidentalem, Aquilonem, et Austrum, hoc modo :

1.

3. 4.

2.

5. Post verba : *In Nomine Patris*, *et Filii*, *et Spiritus Sancti*, mutat vocem, et prosequitur in tono Lectionis : *Haec nobis praecepta etc.*

6. Post verba : *Tu benignus adspira*, halat ter in aquam in modum Crucis.

7. Post verba : *Purificandis mentibus efficaces*, paullulum demittit Cereum in aquam, et resumens tonum Praefationis, dicit : *Descendat etc.*;

Deinde extractum Cereum de aqua, iterum profundius mergit, aliquanto altius repetens: *Descendat in hanc etc.* Postea Cereum rursum de aqua extractum, tertio immergens usque ad fundum, altiori adhuc voce repetit: *Descendat etc.* ut supra. Et deinde sufflans ter in aquam secundum hanc figuram ✠, prosequitur: *Totamque hujus aquae etc.* ut in Missali.

8. Post verba: *Foecundet effectu*, tollitur Cereus de aqua, et panno abstergitur, et prosequitur Praefationem.

9. Post verba: *Infantiam renascatur*, sequentia dicit legendo: *Per Dominum nostrum etc.* et astantes respondent;

Amen.

14. Tunc accipitur per Aeolythum de ipsa aqua benedicta ex Fonte in vase consueto, et ministrante Presbytero assistente aspersorium Episcopus aspergit se et circumstantes cum dicta aqua benedicta (*a*) nihil dicens.

15. Mox accepta mitra Episcopus sedet in Faldistorio ibi parato; Presbiter autem assistens associatus ab Acolytho vas ferente, aspergit de ipsa

---

(*a*) *Memor. Rit. Maj. Hebd. hac die. Horatius Christiani.*

aqua Canonicos, ac reliquum Clerum, et Populum per Ecclesiam. Qui autem asperguntur stabunt capite inclinato, et detecto, atque cum reverenti devotione.

16. Interim unus ex Ministris Ecclesiae accipit in vasis suis de eadem aqua ex Fonte, aspergenda in domibus, et aliis locis secundum consuetudinem locorum (*a*).

17. His peractis Episcopus retinens mitram, accedit iterum ad Fontem, et effundit de Oleo Catechumenorum in aquam in modum Crucis, intelligibili voce dicens: *Sanctificetur etc.*

18. Deinde infundit de Chrismate, modo quo supra, dicens: *Infusio Chrismatis etc.*

19. Postea accipit ambas ampullas Olei sancti et Chrismatis, et de utroque simul in modum Crucis infundendo, dicit: *Commixtio Chrismatis etc.*

20. Tum miscet ipsum Oleum cum aqua, et spargit manu sua per omnem Fontem.

21. Abstergit manum bombycio: deinde lavat manus more solito cum mica panis.

(*a*) Missale Romanum.

§. VII.

De Parvulorum Catechismo faciendo a Presbyteris dum leguntur Prophetiae.

1. Ex Rubrica Missalis hac die: *Ante, vel interim dum Prophetiae leguntur, Presbyteri catechizent catechumenos baptizandos, et praeparent ad Baptismum*; uti diximus supra §. *V. n.* 16.

2. Modus autem catechizandi ex Bauldry desumptus, erit sequens.

3. » Interim Sacerdotes parati cottis, et sto- » lis violaceis, aut unus sic paratus, catechizant » baptizandos, si qui sunt, praeparent eos ad » Baptismum ante atrium vel in aditu, aut por- » ticu Ecclesiae, non intra eam, sicut initio Rit. » Rom. sive sint parvuli, sive adulti, dicuntque, » et servant omnia, quae ibidem praecipiuntur » usque ad ingressum Ecclesiae; quibus peractis, » et facta benedictione fontium, ut infra, in Ec- » clesiam introducuntur, ut in Rit. Rom. Si plu- » res sint, mares in dextera, et feminae in sinistra » parte collocentur, et orationes dicantur in plu- » rali, et actiones, videlicet insufflationes, signa » crucis, et salis gustatio, et alia hujusmodi fiant

» in singulari « *Bauldry Par. IV. Cap. XI. Art. III. num. XXII.* (*a*).

4. Si vero Episcopus vellet etiam ipse procedere ad Catechismum Parvulorum, tunc, expleta fontis benedictione, et accepto baculo pastorali, processionali ritu omnes incedunt extra januam principalem Ecclesiae, excepto cereo, qui remanet prope baptisterium.

5. Ibi omnes se disponunt per duplicatum gyrum, primo Clerici cum Mansionariis, secundo Canonici, ita ut juniores sint prope Crucem in capite gyri interioris ad sinistram Episcopi.

6. Episcopus in Faldistorio in limine portae principalis sedebit.

7. Infantes baptizandi extra limen super brachiis dexteris deferentium in recta linea e regione Episcopi ad sinistram ejusdem Episcopi, feminae ad dexteram, patrini singulorum post ipsos.

8. Episcopus sic sedens cum mitra, singulariter singulis dicit: *Quid petis etc.* respondentibus patrinis, et omnia perficiet prout *in quarta parte Pontificalis Romani novissimae editionis.*

9. Expletis functionibus hujusmodi, Episcopus deponit paramenta violacea, et induitur stola ac

(*a*) *Merati apud Gavant.*

pluviali albi coloris cum pectorali et mitra auriphrygiata, et praecedente Cruce ingreditur Baptisterium, sequentibus baptizandis cum suis Patrinis, accedit ad Fontem, et sedet in Faldistorio pro Baptismi administratione, ut in *sequenti* §. *VIII.*

10. Sed magis conveniens est, quod Presbyteri catechizent parvulos juxta Rubricam Missalis *supra num. I.* et Episcopus post benedictionem fontis, eos baptizet, uti habetur in *Caerem. Ep. Lib. II. Cap. XXVII. num.* 18.

§. VIII.

De Baptismi administratione.

1. Episcopus, expleta Fontis benedictione, lavat manus more solito cum mica panis, et deponit paramenta violacea, et induitur stola ac pluviali albi coloris cum pectorali et mitra auriphrygiata.

2. Sedet cum mitra in Faldistorio ad fontem, et accedentibus baptizandis a Presbyteris catechizatis, quod magis conveniens est, uti diximus in §. praecedenti, singulariter singulos interrogat: *N. Credis in Deum Patrem etc. Credis in Jesum Christum etc. Credis in Spiritum Sanctum etc.* respondentibus Patrinis: *Credo.* Ac immediate

subdit: *N. vis baptizari?* Respondentibus Patrinis *Volo.*

3. Si baptizet per immersionem, Episcopus mitram retinens, surgit, et accipit infantem; et advertens ne laedatur, caute caput ejus immergit in aquam, et trina mersione baptizans, semel tantum dicit: *N. Ego te baptizo in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti.* Mox Patrinus, vel Matrina, vel uterque simul, infantem de sacro fonte levant suscipientes illum de manu Episcopi (*a*).

4. Si vero Episcopus per infusionem baptizet, Patrino, vel Matrina, vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente, Episcopus adhuc sedens cum mitra, vasculum, vel urceolum accipit cum aqua baptismali, et aliquo Cappellano lancem supponente ad recipiendam aquam, ter de ea fundit super caput infantis in modum crucis, et simul verba proferens, semel tantum distincte dicit: *N. Ego te baptizo in nomine Pa✠tris,* fundat primo, *et Fi✠lii*, fundat secundo, *et Spiritus✠Sancti*; fundat tertio.

5. Si vero dubitatur an infans sit baptizatus,

(*a*) Pontif. Romanum ultimae editionis *Part. IV. pro Baptismo Parvulorum.*

utatur hac forma : *N. si non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti.*

6. Praedicta facit singulariter singulis, sicut et sequentia.

7. Deinde Episcopus sedens, et retinens mitram intingit pollicem in sacro Chrismate, et ungit infantem in summitate capitis in modum crucis, dicens : *Deus omnipotens etc.* et ad illa verba : *ipse te liniat* inungit in modum crucis summitatem capitis singulorum : deinde dicit : *Pax tibi.*

8. Tum bombycio, aut re simili, abstergit pollicem suum, et locum inunctum.

9. Deinde etiam sedens cum mitra imponit capiti infantis successive linteolum candidum, loco vestis albae, dicens : *Accipe vestem candidam etc.*

10. Postea pariter sedendo cum mitra dat successive infanti vel Patrino candelam accensam dicens : *Accipe lampadem ardentem etc.*

11. Postremo dicit etiam sedendo cum mitra *N. vade in pace etc.*

12. Primo dimisso, alios successive baptizat, inungit, et data veste, et candela, dimittit eodem modo.

13. Ac demum sedens adhuc cum mitra, Patrinos admonet juxta Rituale Romanum.

14. Interim si aderunt Ordinandi Caeremoniarius ducat eos in Presbyterium, et disponat per gyrum pro Litaniis.

15. Debent tunc Presbyteratu initiandos procumbere contra medium Altaris post terga Episcopi, Diaconatu ad Episcopi dexteram contra cornu Epistolae, et Subdiaconatu ad ejus sinistram contra cornu Evangelii; initiandos vero in minoribus Ordinibus, ac prima Tonsura, non quidem procumbere, sed genuflectere, alium circulum post ordinandos in Presbyteros facientes, si locus scilicet erit capax, alias pro opportunitate loci, et Caeremoniarii arbitrio (*a*).

16. Super Altare apponuntur paramenta alba pro Episcopo, (et si fuerit Archiepiscopus etiam Pallium).

17. In sedilibus Canonicorum paramenta alba pro ipsis.

18. Ante Altare majus genuflexorium pro Episcopo.

19. Expleto Baptismo, Episcopus lavat manus more solito.

Si post Baptismum Episcopus vellet etiam confirmare baptizatos, uti in hoc Sabbato Sancto

---

(*a*) *Joseph Catalani loc. cit. Commen. N. II.*

servatur in Basilica Lateranensi; tunc, lotis manibus, et accepto Baculo Pastorali procedit ad proximum Sacellum, et omnia perficiet prout in §. sequenti.

§. IX.

De Confirmatione juxta morem Basilicae Lateranensis in hoc Sabbato Sancto.

1. Episcopus, si voluerit etiam confirmare baptizatos, expleto baptismo, ut in §. praecedenti, procedit ad Sacellum proximum Baptisterio, in quo omnia pro Confirmatione parata sint, ut supra in §. I. *Cap. I. hujus Tituli X.*

2. Ibidem sedit super Faldistorio super Altari parato.

3. Infantes per Patrinos teneantur in brachiis dexteris. Et neque masculi feminis patrini, neque feminae masculis matrinae esse debent.

4. Quibus per ordinem ante Episcopum dispositis, Episcopus sedens, lavat manus, et deposita mitra, surgit, ac omnia servat, quae in Pontificali Romano pro confirmandis statuta sunt.

5. Omnibus confirmatis, Episcopus tergit cum mica panis, et lavat pollicem et manus super pelvim.

6. Prosequuntur reliqua ut in Pontificali.

7. Expedita itaque Confirmatione, Episcopus sedens, accepta mitra, Patrinos admonet juxta Pontificale Romanum.

8. Deinde deponit paramenta alba, et accipit stolam et pluviale violaceum cum pectorali et mitra simplici.

§. X.

De Litaniis usque ad principium Missae.

1. Episcopus post Baptismum, vel post Confirmationem, ut dictum est supra, deponit paramenta alba, et accipit stolam et pluviale violaceum cum pectorali et mitra simplici.

2. Omnes ordine, quo venerant, redeunt ad Presbyterium, et Chorum.

3. Cereus super candelabrum collocatur.

4. Diaconus et Subdiaconus ad propria Scabella ubi planetas plicatas deponunt; et inde apud genuflexorium Episcopi sic in albis.

5. Episcopus ante Altare, retenta mitra, deponit pectorale ac pluviale per manus Diaconi et Subdiaconi: ac ipsis recedentibus ad propria scabella, cum mitra procumbit ante illud in fal-

distorio cum Diaconis assistentibus hinc inde, et pariter omnes in suis locis genuflectunt.

6. Et duo Cappellani, sive cantores genuflexi ante scabellum versus cornu Epistolae retro Episcopum, habentes ante se librum inchoabunt Litanias, (a) Episcopo autem easdem legente, accedentibus ante se ministris de libro et bugia (b).

7. Et si aderunt Ordinandi prosternent se per gyrum, dum dicuntur Litaniae, et alia fient prout in Pontificali Romano de *ordinibus dandis*, respondente Choro, et repetente omnia, quae ipsi Cappellani, sive Cantores dicunt (c).

(a) Litanias non esse inchoandas apud fontem baptismalem, ut quidam ajunt, notat Gavantus, sed apud Altare. Sed praeter Gavantum clara est dispositio *Caerem. Ep. Lib. II. Cap. XXVII. n.* 19. *et Cap. XXVIII. n.* 10., uti diximus supra, quod Cantores ante Altare inchoabunt Litanias.

(b) Mem. Rit. cit.

(c) Errant Auctores, qui ajunt, geminandum illud: *Per sanctam Resurrectionem tuam.* Quod quidem est contra Constitutionem S. Pii V. hujusmodi additiones in Rubricis Missalis vetantem. Usus insignium Ecclesiarum, praesertim Almae

8. Dicto: *Sancta Maria, ora pro nobis*, Diaconus et Subdiaconus procedunt ad Secretarium, ubi depositis planetis violaceis ante pectus plicatis, assumunt dalmaticam, et tunicellam albam, ut praesto sint ad induendum Episcopum.

9. Interim deputantur sex clerici pro mutatione Sedis Pontificalis: duo pro mutatione pallii Altaris Majoris: sex pro asportandis in Aulam paramentis violaceis Canonicorum.

10. Duo clerici pro accendendis candelis Altaris tempore suo.

11. Ad Secretarium quatuor clerici pro deferendis vasis florum pro Altari.

12. Ad Cappellas laterales duo Clerici pro discooperiendis Iconibus.

13. Apud Abacum duo Ceroferarii: Item duo Clerici pro faldistorio, et pulvinaribus.

14. Et cum perventum fuerit ad ℟. *Peccatores*, Episcopus surgit, et ante Altare per Diaconum et Subdiaconum tunc, et non prius, accedentes, deposita Mitra et Stola violacea, accipit paramenta missalia albi coloris, ac Pallium si est Archiepiscopus, recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos.

Urbis, est ut illud: *Per sanctam Resurrectionem tuam*, altiori et modulata voce decantetur.

15. Canonici in Choro deponunt paramenta violacea, et accipiunt alba.

16. Ministri cum pluvialibus, vel saltem Minister de baculo juxta consuetudinem Ecclesiarum ad Aulam minorem pro deponendis pluvialibus violaceis, et accipiendis albis.

17. Cantores interim post ℣. *Peccatores* prosequuntur lentiori cantu Litanias, et dum Canonici mutant paramenta, Mansionarii et alii, qui non sunt impediti, eadem mora respondent.

18. Interim removentur etiam ab Altari et Sede Episcopi pallia violacea, et accenduntur luminaria. Item apponuntur vasa florum inter Candelabra.

19. Removentur a faldistorio tegumenta, et pulvinaria violacea, et apponuntur alba.

20. Apponitur Cussinus albus super Altare pro Missa.

21. (Si aderunt Ordinandi Episcopus accepta mitra et annulo procumbit iterum inter Diaconum, et Subdiaconum, qui acceptis ibi manipulis, genuflectunt hinc inde. Et repetito per Chorum: *Ut omnibus fidelibus defunctis etc.*, Cantores sistunt, et Episcopus surgens cum mitra, vertit se ad Ordinandos procumbentes, et tenens sinistra Pastorale, eos, ut in Pontificali, ter be-

nedicit cum propriis versiculis: *Ut hos electos etc.* adstantibus ministris de libro et bugia, quibus dictis, Episcopus iterum procumbit: et terminantur Litaniae ad illum versiculum: *Christe audi nos*, inclusive: quo dicto, et repetito, omnes surgunt, et Ordinandi ad modum coronae disponuntur in gyrum in locis suis, ubi stabunt, et genuflectent quando opus fuerit (*a*).

22. Cappellani vero, sive Cantores jam dicti prosequuntur Litanias usque in finem, respondente Choro, ut supra, ut in fine cantatur: *Kyrie eleison* cum pausa convenienti, donec Episcopus fuerit in sua sede ad cantandum: *Gloria in excelsis Deo etc.*

§. XI.

De principio Missae, et Ordinationis usque ad Vesperas.

1. Episcopus, si aderunt Ordinandi, ut supra, accedentibus Presbytero et Diaconis assistentibus, surgit, et ante Altare, deposita mitra per Diaconum Evangelii, facit Confessionem cum Psalmo *Judica etc.*, et accipit manipulum de more.

(*a*) Horatius Christiani.

2. Si vero non aderint Ordinandi, Episcopus, postquam est albis paramentis paratus, facit Confessionem cum Ministris, more solito; ascendit ad Altare, illudque ac librum Evangeliorum osculatur, imponit incensum in thuribulum; et benedicit; incensat Altare, et incensatur ipse a Diacono, et revertitur ad suam sedem, ubi dicit *Kyrie eleison etc.* cum Presbytero et Diaconis assistentibus.

(Si aderunt Tonsurandi Episcopus dicto *Kyrie eleison etc.* et accepta mitra auriphrygiata, et baculo descendit ad faldistorium, ante medium Altaris sibi praeparatum, cum Archidiacono, Diacono, et Subdiacono, Diaconi vero assistentes recedunt inter Canonicos (*a*); et in illo sedet re-

---

(*a*) *Memor. Rit. Maj. Hebd.* additur etiam sequens *Decr. S. R. C. ad Dub.* 5. propositum pro parte Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Card. 5. Xysti de Ursinis Episcopi Caesenatensis; » In Ordinatione sollemniter facienda Pontificale » Rom. non explicat quinam debeant esse Mini- » stri parati Episcopo servientes, sed indistincte » loquitur de Ministris: quaeritur: An accedente » Episcopo a Sede ad Altare pro Ordinibus con- » ferendis, duo Diaconi assistentes debeant illi

nibus Altari versis, accepto gremiali, et procedit ad Tonsurandos prout in Pontificali; et Clericis ordinatis, cum Archidiacono et Diaconis assistentibus redit ad Sedem suam; Diaconus et Subdiaconus apud Altare in propriis scabellis).

3. Si vero non aderint Ordinandi, Episcopus stans in sua Sede, et dicto *Kyrie eleison* cantat *Gloria in excelsis Deo etc.* (*a*).

» inservire, cum haec actio non sit pars Missae; » an vero Diaconus Evangelii et Subdiaconus, » quia Episcopus in Altari habet Ordinationes? » Et S. R. C. ad 5. *Convenientius ministrari per* » *Diaconum Evangelii et Subdiaconum*; *quia ipsi sunt qui ministrant*, *alii vero Diaconi solummodo dicuntur assistentes. Et ita declar. die* 19. *Apr.* 1681. *Decr. Aut. Tom. III. n.* 2797.

(*a*) Commendandus est hic, ut tradit Joseph Catalani, usus complurium insignium Ecclesiarum, in quibus Altare, praesertim Majus magnificentissime paratum, in quo sollemniter hac die celebratur, non prius detegitur, quam intonato per Episcopum *Gloria in excelsis etc.* et tunc etiam discooperiuntur Sacrae Imagines aliorum Altarium, et accenduntur in Altaribus ipsis candelae; licet in aliis Ecclesiis contrarium servetur, in quibus, ubi

4. Tunc pulsantur Campanae, et Organa, et prius debent moneri aliae Ecclesiae Civitatis, ne pulsent Campanas, nisi prius audito signo Campanarum Ecclesiae Cathedralis (*a*).

5. Organa deinceps pulsantur, quoties Chorus, et Episcopus non cantat in Missa, vel non legit,

---

in Litaniis Cantores dicunt versiculum *Peccatores* ea Imaginum detectio fiat. Non laudat praefatus Auctor praxim illarum Ecclesiarum, in quibus vel initio functionum hujus diei sacrae ipsae Altarium Imagines discoopertae conspiciuntur.

(*a*) Illud hic notandum est, quod ait Crassus in suo Caeremoniali Lib. II. Cap. XLVIII. *indicendum, scilicet, prius omnibus Ecclesiis Civitatis mandatum poenale, ut nulla incipiat pulsare Campanas, priusquam audiverit Ecclesiam Cathedralem sonasse; nam ipsa tamquam Mater debet primo gaudere, et deinde aliae tamquam filiae, et ministrae minores secum gaudere.* Sane extat de ea re constitutio Leonis Papae X. qua prohibentur caeterae Ecclesiae pulsare Campanas mane Sabbati Sancti ante sonitum Campanarum Ecclesiae Cathedralis, vel Matricis. Extant etiam non modo Episcopalium Synodorum, sed et Sacrae Rituum Congregationis Decreta.

aut cantat aliquid in collatione Ordinum: et super hoc advertat organista.

(Circa finem Hymni Episcopus, deposito gremiali, procedit ad Altare pro Ordinibus Minoribus conferendis cum Archidiacono, Diacono, et Subdiacono, recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos; et collatis Ordinibus Minoribus, ut in Pontificali, revertitur ad Sedem cum Presbytero et Diaconis assistentibus; Diacono et Subdiacono manentibus in propriis locis).

6. Si vero non aderint Ordinandi, finito Hymno: *Gloria in excelsis Deo etc.* Episcopus surgens sine mitra, dicit versus populum: *Pax vobis*; deinde Orationem: *Deus, qui hanc sacratissimam noctem etc*

(Si aderint Ordinandi, Episcopus dicit praefatam Orationem *Deus, qui hanc sacratissimam noctem etc.* cum Collecta pro Ordinandis: *Exaudi quaesumus Domine etc.* sub unica conclusione; et deinde accepta mitra et baculo ad Altare cum Archidiacono, Diacono, et Subdiacono, recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos, et sedet cum mitra ac gremiale, et procedit ad Ordinationem Subdiaconorum, ut in Pontificali. Subdiaconis ordinatis redit ad Sedem cum Presbytero et Diaconis assistentibus, Diacono et Sub-

diacono remanentibus in propriis locis. Sedet, accepto gremiali, et accedentibus Ministris, legit Epistolam; interim Subdiaconus ex noviter ordinatis, accepto Libro, accedit cum debitis reverentiis, et Epistolam cantat).

7. Finita Epistola, Subdiaconus dimisso libro in manu Caeremoniarii, immediate accedens ante Sedem Episcopi, clara voce dicit: *Reverendíssime Pater, annuncio vobis gaudium magnum, quod est Alleluja*, et statim accedens osculatur ejus manum.

(Si aderint Ordinandi, Episcopus, dimisso gremiali, et accepto baculo, accedit ad Altare cum Archidiacono, Diacono, et Subdiacono, recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos, et sedens in faldistorio, accepto gremiali, procedit ad Ordinationem Diaconorum, ut in Pontificali; ac Diaconis ordinatis, accepta mitra et baculo, redit ad Sedem cum Presbytero et Diaconis assistentibus, remanente Diacono et Subdiacono in propriis locis).

8. Sedente Episcopo cum mitra, tunc is, cui ex officio incumbit, vel aliquis Canonicus preintonat Episcopo *Alleluja*, qui surgens sine mitra, ter cantat *Alleluja* semper elevando vocem gradatim, et Chorus post quamlibet vicem repetit illud

idem: et postea Chorus prosequitur Versiculum: *Confitemini Domino etc.*

9. Canonicus interim revertitur ad proprium locum.

(Si aderint Ordinandi, Episcopus sedens cum mitra et gremiali, legit ℣. et Tractum usque ad versum: *Quoniam etc.* exclusive, et Chorus eadem cantat. Deinde dimisso gremiali, et accepta mitra ac baculo, accedit ad Altare cum Archidiacono, Diacono, et Subdiacono, recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos, et procedit ad ordinandos Presbyteros, ut in Pontificali; et ordinatis omnibus, Episcopus more solito lavat manus, adhibita medulla panis, postea resumit chirothecas, et annulum. Eodem tempore Ordinati incedunt omnes bini ad Aulam minorem pro ablutione manuum, pariter adhibita medulla panis, et statim redeunt ad propria loca. Et Episcopus accedit ad Sedem suam cum Presbytero et Diaconis assistentibus, remanentibus Diacono et Subdiacono in propriis locis. Interim Chorus prosequitur ultimum versum Tractus Missae: *Quoniam confirmata est etc.*, quem versum Episcopus sedens cum mitra et gremiali, legit una cum Evangelio sequenti, et removetur faldistorium ab Altari).

10. Tunc Episcopus sedet, et prosequitur Missam, prout in Missali, servatis omnibus caeremoniis, quae late explicatae sunt in *Cap. VIII. Lib. II. Caerem. Episcopor.*

11. Ad Evangelium non portantur luminaria, sed incensum tantum; et petitur benedictio.

(Si aderint Ordinati Diaconus ex noviter ordinatis, accepto libro ex Abaco, more solito defert illum super Altare: mox ad osculum manus Episcopi: deinde ante Altare pro *Munda cor meum*. Episcopus de more imponit incensum et benedicit. Diaconus accipit Librum ex Altari, et praecedentibus Caeremoniario, Thuriferario, et duobus Acolythis sine candelabris, manus junctas tenentibus, et Subdiacono subsequente, procedit ad Episcopum pro benedictione: deinde ad ambonem, sive legile pro Evangelio).

12. Episcopus, depositis gremiali ac mitra, surgit, surgentibus omnibus, et accipit pastorale; et cantatur Evangelium, deinde osculatur librum, et incensatur a Presbytero assistente de more.

13. Non dicitur *Credo*, sed Episcopus dicit: *Dominus vobiscum*, et *Oremus*: et immediate sedet, et sumit mitram pretiosam.

14. Non dicitur Offertorium.

(Si aderunt Ordinati, Episcopus procedit ad Altare cum Presbytero, Diacono, et Subdiacono, recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos. Episcopus sedet in faldistorio, et apponentibus Acolythis super genibus ejus hinc inde lineum gremiale, accipit ab Ordinatis binis ante se genuflexis oblationem cereorum cum osculo cerei, et manus. Interim aptantur in medio Presbyterii scamna oblonga pannis cooperta, et super ipsis Missalia rite signaculis praeparata juxta numerum Presbyterorum. Episcopus, accedente Acolytho cum pelvi, deponit annulum, et chirothecas, et lavat manus, reassumens postea annulum, deinde deponit mitram, et surgit, et amovetur faldistorium. Interim Presbyteri noviter ordinati accedunt ad scamna praedicta e regione Altaris; et Diaconi assistentes ante Altare, ut in aliis Missis. In oblatione Hostiae offeruntur etiam particulae pro numero Ordinatorum in Pyxide. Presbyteri vero ordinati in terra genuflexi, habentes Missalia, ut supra, coram se, dicentes: *Suscipe Sancte Pater etc.*, et omnia alia de Missa prout dicit Episcopus: qui tamen bene advertat, quod Secretas morose dicat, et aliquantulum alte, itaut ordinati Sacerdotes possint secum omnia dicere. In Missa non dicitur *Agnus Dei*, nec

datur osculum pacis, dicuntur tamen tres consuetae Orationes ante Communionem, ut in Missali. Episcopus, sumpto sanguine, immediate, Diacono a dextra tenente Pyxidem, et Subdiacono a sinistra Patenam, communicat Sacerdotes binos et binos in supremo gradu Altaris genuflexos, dicens singulis: *Corpus Domini nostri etc.* Communicatis Presbyteris, primus de Diaconis noviter ordinatis cantat *Confiteor etc.*, Episcopus dicit *Misereatur vestri etc.*, et *Indulgentiam etc*, et communicat, ut alias, omnes Ordinatos, binos accedentes, et genuflexos. Communicati se purificant in Cornu Epistolae, uti in Communione generali Feriae V. in Coena Domini).

15. Si non aderunt Ordinati Episcopus prosequitur Missam Pontificalem de more. Dicitur *Pax Domini sit semper vobiscum*, sed non datur pacis osculum nec dicitur *Agnus Dei etc.* nec Postcommunio, sed tres orationes ante Communionem dicuntur.

(Si aderunt ordinati, Episcopus peracta Communione, se purificat, ac manus lavat de more cum mitra. Deinde deposita mitra, ibidem in cornu Epistolae, stans versus Altare, inchoat cum cantu, prosequente Schola, Responsorium: *Jam non dicam vos servos etc.* Interim Diaconi assi-

stentes ad loca sua inter Canonicos. Episcopus reassumpta mitra, vertit se ad Presbyteros ordinatos, qui stantes coram ipso profitentur fidem, recitando: *Credo in Deum Patrem etc.* Interim Faldistorium ad Altare, et sedet Episcopus cum mitra, et accipit gremiale, et singulis Presbyteris ante se genuflexis, imponit ambas manus super caput singulorum, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum etc.* et reliqua omnia perficit, ut in Pontificali de Ordinat. Presbyter. Quibus expletis, Episcopus, facta reverentia Cruci, redit ad Sedem suam cum Presbytero et Diaconis assistentibus, recedentibus Diacono et Subdiacono ad propria loca, et Ordinati Presbyteri ad loca sua).

§. XII.

De Vesperis.

1. Si non aderunt Ordinati, post Communionem Episcopus, facta purificatione, lavat manus, redit ad Sedem, et Chorus incipit: *Alleluja* pro Vesperis, Episcopo sedente.

2. Ad *Magnificat*, Subdiaconus praeintonat ei antiphonam, quam surgens repetit, deinde sedet cum mitra, et imponit incensum more solito.

3. Cum inchoatur *Magnificat* Episcopus descendit ad Altare, et deposita mitra, facit Cruci reverentiam, osculatur Altare, et illud incensat; mox revertitur ad Sedem suam, et incensatur ipse, et alii more solito: et ipse stans sine mitra, expectat finem Cantici *Magnificat*.

4. Cum repetitur Antiphona, sedet, accepta mitra, et ea finita, descendit ad Altare, dicit *Dominus vobiscum*, et Orationem, et Diaconus *Ita Missa est* cum duplici *Alleluja*: datur benedictio, et publicantur Indulgentiae, ut alias.

(Si aderunt Ordinati, Episcopus, dicto *Placeat etc.* dat solitam benedictionem sollemnem dicens: *Sit Nomen Domini etc.*, et publicantur Indulgentiae, ut alias per Presbyterum assistentem, et Diaconi assistentes recedunt ad loca sua in Choro. Interim sedet Episcopus cum mitra in Faldistorio, et alloquitur Ordinatos ante se genuflexos, dicens: *Filii dilectissimi*, *diligenter etc.* ut in Pontificali; tum accedentibus Diaconis assistentibus, deposita mitra, surgit, (et si est Archiepiscopus convertens se ad Altare deponit Pallium super illud); incipit ultimum Evangelium, signans Altare, et seipsum, ut alias, et accepta mitra, et baculo, prosequens Evangelium, revertitur ad Sedem suam cum ipsis assistentibus

Diaconis; ubi, mox eisdem recedentibus, per manus Diaconi et Subdiaconi, post dimissos ad sua scabella manipulos, deponit sacras vestes, et accipit Cappam. Presbyteri vero noviter ordinati, postquam et ipsi ultimum Evangelium dixerunt, cum aliis ordinatis ordine suo revertuntur ad Sacristiam, ibique paramenta deponunt).

5. Canonici pariter eodem tempore, quo Episcopus in sua Sede, deponunt paramenta in suis locis, sicut et alii Ministri in Sacristia, et accipiunt vestes Chorales.

6. Accepta per Episcopum Cappa, iterum accedunt duo assistentes Diaconi in habitu canonicali, et Diacono Evangelii ad suum scabellum manente, Subdiaconus it ad credentiam, ubi accipit velum humerale album, et cum Acolythis et Scutifero accedit ad Episcopum pro detrahendis Sandaliis; et tunc Episcopus legit Antiphonam: *Trium Puerorum etc*:, in cujus fine addit *Alleluja*, pro gratiarum actione post Missam. Subdiaconus detractis Sandaliis, ipsisque repositis apud credentiam, una cum Diacono, facta Altari et Episcopo profunda inclinatione, quia sunt Canonici, ad Sacristiam pergunt, et ibi sacra Paramenta deponentes, Canonicalem habitum induent,

ut Episcopum Domum suam redeuntem cum aliis comitentur (*a*).

7. His peractis, Episcopus tandem, facta prius ante Altare ad faldistorium oratione, discedit cum solito comitatu. Interim vero aliquis Cappellanus, cotta et stola indutus, e loco ubi Feria V. fuit reposita Pyxis cum particulis, reportat ipsam Pyxidem private, cum duobus saltem cereis accensis, ad suum Tabernaculum in propria Cappella, ubi asservari solita est.

8. Post discessum Episcopi extinguuntur cerei Altaris, et tres candelae in cuspide Arundinis, quae amplius non accenduntur, et arundo ipsa amovenda est omnino.

9. Item extinguitur Cereus Paschalis, qui tamen remanet in suo candelabro, et accendetur usque ad Festum Ascensionis juxta sequens Decretum S. R. C. » Cereus Paschalis regulariter » accenditur ad Missas, et Vesperas sollemnes in » tribus diebus Paschae, Sabbato in albis, et » Diebus Dominicis usque ad Festum Ascensionis » D. N. J. C. quo die, cantato Evangelio, extin-

(*a*) *Ioseph Catalani in Cap. XXVII. Lib. II. Caere. Epis. Comment. n. XVI. ac etiam Man. Rit. Maj. Heb. Tit. VIII. Cap. II. §. XVI.*

» guitur: et in aliis diebus, et sollemnitatibus » etiam sollemniter celebratis non accenditur, nisi » adsit consuetudo, quod durante tempore Pa- » schali accendatur, quae servanda esset (*a*) «.

10. Extincto post Evangelium in die Ascensionis Cereo ut supra, completa Missa, removetur e candelabro, et servatur accendendus in Vigilia Pentecostes ad benedictionem Fontis.

11. In nostra Sacrosancta Cathedrali Basilica Sulmonensi accenditur Cereus Paschalis etiam ad Primas Vesperas Dominicae 1. Maji in Festo Sacratissimae Coronae Domini. Item ad utrasque Vesperas, et Missam sollemnem in Festo S.Pamphili Patroni Principalis Civitatis, ac utriusque Dioecesis. Item ad Missam sollemnem in diebus Electionis, et Consecrationis Illustrissimi et Reverendissimi Domini Episcopi, si occurrant Tempore Paschali.

12. Opportune hic ea discutienda quaestio est: An Cereus semel benedictus in Sabbato Sancto hujus anni possit iterum benedici anno sequenti? Ratio dubitandi est, quia Cereus semel benedictus non amittit benedictionem, ex eo quod vigore

(*a*) *Die* 19. *Maj*. 1607. *Decr. Auth. Tom.* 1. *n*. 204. *ad* 13.

luminis paulatim absumatur, neque etiam ex eo quod postea reficitur, addita solum minori parte, quia potius major pars trahit ad se minorem; et sic totus Cereus, quamvis refectus, remanet benedictus, ideoque non potest iterum benedici, quia cum jam sacer sit factus ex prima benedictione, frustra secunda benedictio adhiberetur. Verum in oppositum urget praxis multarum insignium Ecclesiarum, in quibus passim benedicitur Cereus anni praeteriti modo explicato (*a*). *Contrarium* docet Quartus in Tractatu *de Benedictionibus* (*b*). Sed in Sacra Rituum Congregatione, Casalen dubiorum 9.: An sit servanda asserta consuetudo adhibendi in Sabbato Sancto parvum cereum pro Praeconio ad majorem commoditatem Celebrantis, aliumque majorem alias benedictum accendendi in Dominica Resurrectionis, ac toto tempore Paschali; seu etiam pro omnibus his functionibus adhibendus sit unus et idem Cereus in toto vel saltem in parte in singulis annis renovandus, et benedicendus in casu? S. R. C. respondit ad 9. *servetur solitum* (*c*).

(*a*) *Joseph Catalani loc. cit. Comm. n.XVIII.*

(*b*) *Tit. II. Sect. VI. Praeludio III. Dubitatione II.*

(*c*) *Ita declaravit, et servari mandavit die* 15.

CAPUT II.

DE SABBATO SANCTO

Episcopo assistente cum Cappa.

§. I.

De Praeparandis.

1. Praeparantur omnia quae in superiori capite expressa sunt, praeter Abacum, et Paramenta Pontificalia, quia Episcopus assistet cum Cappa.

2. Prope Sedem Pontificalem Missale, Liber Canonis, et Bugia.

3. In Aula majori paramentorum non parantur paramenta pro Canonicis, qui debent assistere cum Cappis.

4. In Altari majori non apponitur septimum Candelabrum.

5. In Sacristia parantur Paramenta violacea et alba pro Celebrante et Ministris.

6. In Presbyterio scabellum nudum ponendum

Sept. 1753. *Casalen. Dubiorum ad* 9. *Dec. Aut. Tom. IV. n.* 4086.

§. III.

De accessu Episcopi usque ad Benedictionem Fontis.

1. Episcopus statim, finita praedicta benedictione novi ignis, veniet more solito cum Cappa ad Ecclesiam; orabit ante Altare majus, et ascendet ad suam Sedem cum suis Cappellanis; et orante Episcopo, surget Celebrans cum Ministris,

---

complures docti Scriptores sunt ejus sententiae, ut Subdiaconus in dicta functione Sabbati Sancti delaturus Crucem manipulum sumat, isque est usus insignium Ecclesiarum, et Basilicae Vaticanae; lapsusque idcirco est Scriptor alioqui eruditus Cajetanus Merati in suis additionibus apud Gavantum, cum agens de Sabbato Sancto, reflectens ad utrumque locum Caerem. Episc. *Lib. II. Cap. XXVII*, , *et Cap. XXVIII.*, scripsit: quod aut *error irrepsit*, *aut utrumque fieri potest.* Ita Joseph Catalani, qui de hac quaestione agens, concludit: *Putarem ergo equidem ideo Subdiaconum deferentem Crucem gestare manipulum, ut Diacono se conformaret qui Paschale Praeconium cantaturus, una cum aliis Diaconalibus paramentis, manipulum etiam defert.*

qui, donec Episcopus orabit, stabunt, et Episcopo sedente, sedebunt.

2. Cum Episcopus aliquantulum in sua Sede quieverit, accedunt ad eum Diaconi assistentes (*a*), ac etiam accedet ad eum Acolythus vel Caeremoniarius cum incenso, et ministrante solito Canonico Presbytero assistente naviculam, imponet, et benedicet incensum, more solito.

3. Subdiaconus capiet Crucem, et cum Diacocono, et aliis Ministris discedent versus Sacristiam ad accipiendam arundinem cum tribus candelis, et quinque grana incensi; et alia omnia fient, quae superius delarata sunt. Celebrante interim sedente in suo scamno, et surgente apud

---

(*a*) Cum Caerem. Episc Lib. II. Cap. XXVII. Sabbato Sancto Episcopo celebrante de solita assistentia duorum Diaconorum non loquatur, nisi postquam Episcopus missalia paramenta accepit tempore quo Prophetiae cantari debent, quaeritur: an praedicti Diaconi praebere possint assistentiam cum ignis incipit benedici, et cantatur *Exultet*; et S. R. C. respondit: *Posse*, *maxime ad Praeconium*, *prout elicitur ex Caerem. Episc. In Sabbato Sancto*. Decr. Aut. Tom. III. n. 2797. ad 1.

illud cum opus fuerit, donec inchoetur Praeconium: *Exultet jam etc.*, quo incepto, accedet ad Altare, et ibi stabit, manibus junctis, in cornu Epistolae, respiciens Diaconum cantantem.

4. Finito Praeconio, Diaconus revertitur ad Altare, et deposita dalmatica, et stola alba, capiet violaceam, et planetam ante pectus plicatam, et cum Subdiacono accedet ad Celebrantem, qui etiam in suo scamno induet planetam cum manipulo; ministri quoque manipulos habebunt.

5. Item locabitur in medio Chori, seu Presbyterii pulpitum nudum, et deducetur a Caeremoniario aliquis Acolythus, vel Clericus, sive Cantor cotta indutus ad cantandam primam Prophetiam sine titulo; quam leget etiam Celebrans submissa voce apud Altare, adstantibus Ministris, ut fit ad Introitum Missae; et ea finita, accedet, qui illam cantavit cum debitis reverentiis ad osculandam manum Episcopi.

6. Quo facto, Celebrans dicet: *Oremus*; Diaconus *Flectamus genua*, et Episcopus, ac omnes genuflectunt, excepto Celebrante; et Subdiaconus *Levate*, et omnes surgunt: tunc Celebrans prosequitur orationem, stans manibus extensis (*a*).

(*a*) In cantu semper aequali, ac feriali tono, ut ait Crassus.

7. Cantantur deinde eodem modo aliae Prophetiae, quarum primas quatuor cantabunt Cantores, vel Acolythi, seu Clerici, alias quatuor Beneficiati, seu Mansionarii, ultimas quatuor Canonici, vel alias, prout commoditas, et numerus Clericorum, vel consuetudo Ecclesiae suadebit.

8. Post quartam, octavam, et undecimam Prophetiam, Episcopus legat ex libro Tractum, dum idem cantatur a Choro, ministrantibus de libro et candela solitis Ministris; Celebrans vero apud Altare illum leget: Diaconus et Subdiaconus suo tempore ad alias Orationes dicent *Flectamus genua*, et *Levate*, prout in Missali (*a*).

(*a*) Ex Caerem. Episc. *Lib.II. Cap. XXVIII.* *n.* 6. Post quartam, octavam, et undecimam Prophetiam, Episcopus leget ex libro Tractum, dum idem cantatur a Choro, non autem Prophetias, quas dum cantantur leget etiam Celebrans submissa voce apud Altare, adstantibus ministris, ut in supradicto *Cap. XXVIII.* Caerem. Episc. n. 5.

§. IV.

De Benedictione Fontis usque ad finem Officii.

1. Finitis Lectionibus, Celebrans, deposita Planeta, et accepto pluviali violaceo, praecedente Cruce, quam gestabit aliquis Minister Cotta indutus (*a*), Clero, et Canonicis, et ante Crucem aliquo Acolytho portante Cereum benedictum accensum, medius inter Diaconum et Subdiaconum, et post ipsum sequente Episcopo, ibit ad benedicendum Fontem Baptismalem, Choro interim cantante Tractum: *Sicut Cervus etc.* et omnia fient, et cantabuntur circa Fontis Benedictionem, quae habentur in Rubricis Missalis.

2. Quibus paratis, si aderunt Catechumeni, baptizentur more solito.

3. Interim locatur ante medium Altaris faldi-

(*a*) Perspicua tamen sunt, quae et sequuntur, sed tamen mirum videri possit, cur postquam nostrum Caeremoniale edixit, Celebrantem procedere medium inter Diaconum et Subdiaconum, Castaldus, Bauldryus, aliique auctores scripserint; Crucem a Subdiacono in ea functione deferri, Celebrantem vero ire cum solo Diacono? Errant

storium pro Episcopo, et scabellum pro Celebrante ad sinistram partem (*a*).

4. Completa Benedictione Fontis, et baptizatis Catechumenis, si aderunt, ut in praecedenti Capite dictum est, redeunt omnes eodem ordine ad Altare, et Episcopus genuflectit super dicto Faldistorio, capite detecto; Celebrans vero, deposito pluviali ante dictum scabellum, a sinistris Episcopi (*b*), Diaconus et Subdiaconus in albis post Celebrantem, et pariter omnes in suis locis genuflectunt.

---

itaque ipsi Auctores, gestabitque tunc Crucem aliquis Minister cotta indutus. Ita Joseph Catalani *Commentario in Capite XXVI. Libri II. Caeremonialis Episcoporum §. VIII. n.* 1.

(*a*) Paulo tamen post eum, ut notat ad hunc locum Bauldryus; et nudo quidem capite, non seminudo, ut ajebat etiam Crassus.

(*b*) Juxta Crassum Lib. II. sui Caeremonialis Cap. XLVIII. ponendum est Faldistorium *ante gradus infimos in medio Altaris in plano Presbyterii pro Cardinali genuflexo*, Episcopo scilicet Bononiensi, *et scabellum pro Celebrante Praelato ad sinistram modicum retro Faldistorium.* Addit mox etiam, *quod si non Praelatus sed alius Sacerdos simplex celebret, tunc ipse erit genu-*

5. Duo Cappellani, sive Cantores, genuflexi ante scabellum post Episcopum, et Celebrantem, habentes ante se librum inchoabunt Litanias, Choro idem simul respondente, prout in Missali (*a*).

6. Cum perventum fuerit ad versiculum *Peccatores* surget Celebrans, et ibit ad Sacristiam cum suis ministris ad accipiendum paramenta alba pro Missa, nisi Sacristia multum distet, quo casu parentur in solito scamno prope Altare in cornu Epistolae (*b*).

---

flexus in terra magis retro Cardinalem. Sed observanda est semper regula, quam Caeremoniale Episc. praescribit, uti diximus in hoc numero.

(*a*) Ubi scite notat Gavantus, Litanias non esse inchoandas apud Fontem Baptismalem, ut quidam ajunt, sed apud Altare, uti diximus in capite praecedenti. Neque geminandum illud *Per Sanctam Resurrectionem tuam*, sed altiori, ac modulata voce decantandum, prout ibidem notavimus.

(*b*) Neque nullo modo ante Altare, nemo enim Episcopo inferior ibi est vestiendus, licet sit loci Superior, ut notat Gavantus, quia scilicet non est illi communicanda Episcopalis praerogativa, quod tradit etiam Catalanus.

7. Et eodem tempore per alios ministros removeatur ab Altari pallium violaceum, et remaneat album: removetur etiam a Sede Episcopali pallium violaceum, et accenduntur candelae Altaris, ita ut haec omnia fiant, antequam compleantur Litaniae: quibus finitis, surgit Episcopus, et removetur faldistorium.

8. Celebrans vero accedit ad ejus sinistram, facit cum Episcopo Confessionem, cantatur *Kyrie eleison*, *et Gloria in excelsis Deo etc.*, pulsantur campanae, et perficitur Missa secundum Rubricas Missalis, prout etiam in *praecedenti capite* legitur, et cum Caeremoniis praescriptis *in Capite IX. Libri II. Caerem. Episcopo*: de Missa solemni quae coram Episcopo celebratur.

9. Finita Epistola, Subdiaconus, dimisso libro in manu Caeremoniarii, accedit ad Sedem Episcopi, et genuflexus osculatur ejus manum, et clara voce dicit: *Reverendissime Pater*, *annuntio vobis gaudium magnum*, *quod est Alleluja*, ut infra in *Cap. III. hujus Tituli §. III. num. II.*

CAPUT III.

DE SABBATO SANCTO.

Episcopo assistente ad Missam tantum juxta morem Cappellae Papalis.

§. I.

De Praeparandis.

1. Parantur omnia, ut notatum est supra, Episcopo assistente.

2. In Credentia prope Sedem Pontificalem Liber Missalis cum tegumento albo, Liber Canonis, bugia, et mitra auriphrygiata.

In Secretario.

1. Altare Secretarii cum cruce, et candelis extinctis.

2. Paramenta Episcopi super eo, videlicet: Mitra pretiosa, pectorale, pluviale, et stola albi coloris, crux pectoralis, cingulum album, alba et amictus: omnia velo serico violaceo cooperta.

3. Pastorale in Cornu Epistolae.

4. Ante dictum Altare Faldistorium cum veste et pulvinaribus violaceis.

§. II.

De Sacris Ritibus in hac Missa absolvendis.

1. Expleta Fontis benedictione, et Baptismi administratione, Celebrans cum Canonicis et Clero processionali ritu revertitur ad Altare majus, et ibidem cantantur Litaniae Sanctorum, ut supra notatum est.

2. Presbyter et Diaconi assistentes remanent propre januam Ecclesiae ad excipiendum Episcopum, qui statim veniens ingreditur per portam minorem prope Turrim Campanariam, et gradiens per Aulas Canonicales, recto tramite pergit ad Secretarium.

3. Ibi genuflexus prope Faldistorium, orat.

4. Interim Presbyter et Diaconi assistentes ad Aulam majorem paramentorum, depositis Cappis hyemalibus, accipiunt Cappas aestivas cum serico rubro loco pelliculárum (*a*), et revertuntur ad Episcopum.

(*a*) In Ecclesiis, in quibus Canonici non habent duplices Cappas, sed suo tempore iisdem Cappis loco pelliculárum sericum rubrum apponitur, poterunt remanere cum Cappis hyemalibus.

5. Episcopus surgens ab oratione ascendit ad Sedem suam in eodem Secretario cum Presbytero et Diaconis assistentibus et removetur Faldistorium.

6. Ad ℣. *Peccatores* Celebrans et ministri surgunt, et accedentes ad Aulam Paramentorum induuntur paramentis albi coloris pro Missa sollemniter celebranda.

7. Interim removentur ab Altari, et Sede Episcopali pallia violacea, et accenduntur luminaria.

8. Canonici in Choro in locis suis, depositis Cappis hyemalibus, accipiunt Cappas aestivas, si facile haberi poterunt, ut dictum est supra *in nota ad num.* 4.

9. Accedentibus Acolythis cum paramentis Pontificalibus, Episcopus in Secretario accipit per manus Diaconorum assistentium amictum, albam, cingulum album, crucem pectoralem, stolam, et pluviale albi coloris, mitram pretiosam, et baculum.

10. Induto Episcopo, Celebrans cum ministris ab Aula Paramentorum in Secretarium, ubi factis debitis reverentiis Altari, et Episcopo, proceditur per breviorem ad Altare majus hoc ordine.

I. Praecedit Mazzerius.

II. Caeremoniarius cum Acolythis deferentibus candelabris cum cereis accensis.

III. Subdiaconus.

IV. Diaconus.

V. Celebrans.

VI. Post Celebrantem Episcopus eum mitra et baculo medius inter Diaconos assistentes cum Presbytero assistente a dextris, et Caeremoniario a sinistris hinc inde.

VII. Post Episcopum ministri de baculo, de mitra, et bugia.

§. III.

De Missa sollemni hujus Sabbati Sancti.

1. Episcopus ante Altare, deposito baculo et mitra, incipit: *In nomine Patris etc.* et dicto Psalmo: *Judica me Deus etc.* cum *Gloria Patri* facit confessionem, ut moris est, habens a sinistris Celebrantem stantem, et Diaconum et Subdiaconum aliquantulum post Celebrantem genuflexos.

2. Interim schola in Choro cantat *Kyrie eleison* pro Missa, prolixa adhibita modulatione.

3. Dicto *Indulgentiam etc.* Episcopus, accepta mitra et baculo, accedit ad sedem cum Diaconis et Presbytero assistente.

4. Episcopus sedens cum mitra, imponit, et benedicit incensum, ministrante Presbytero assistente, de more.

5. Incensatur Altare de more, et Celebrans duplici ductu a Diacono.

6. Episcopus surgit cum mitra, et incensatur a Presbytero assistente.

7. Interim Canonici exeunt pro circulo, et Episcopus cum eis dicit *Kyrie eleison*.

8. Celebrans cantat *Gloria in excelsis Deo etc.*

9. Tunc pulsantur campanae, et organa.

10. Episcopus prosequitur hymnum *Gloria in excelsis Deo etc*: cum Canonicis in circulo stantibus, ut de more.

11. Finita Epistola, Subdiaconus, dimisso Libro in manu Caeremoniarii, accedit ad Sedem Episcopi, et genuflexus osculatur ejus manum, et clara voce dicit: *Reverendissime Pater, annuntio vobis gaudium magnum, quod est Alleluja* (*a*),

---

(*a*) » Sabbato Sancto Episcopo assistenti, et » non celebranti, post cantatam Epistolam, et » osculationem manus Episcopi, Subdiaconus dicet » verba: *Annuntio etc.* Absente vero Episcopo « non fiat annuntiatio » Et ita declaravit S.R.C. *die* 28 *Nov.* 1682 *Decr. Aut. Tom. III. n.* 2857 *et Caerem. Papae Lib.* 2 *Sect. I. Cap.* 57.

descendit, iterum genuflectit in plano, et redit ad locum suum.

12. Accedentibus ministris de libro, et bugia, Episcopus sedens legit Epistolam.

13. Interim ultimus Canonicus in habitu chorali accedit ante Sedem Episcopi, et illi praeintonat: *Alleluja.*

14. Episcopus surgens sine mitra, ter cantat *Alleluja* semper elevando vocem gradatim: et Chorus post quamlibet vicem repetit illud idem.

15. Et postea Chorus prosequitur versiculum: *Confitemini Domino etc.*

16. Tunc Episcopus sedet cum mitra, et legit ℣. Tractum, et Evangelium.

17. Prosequitur Missa de more secundum Rubricas Missalis, et cum Caeremoniis descriptis in *Cap. IX. Libri II. Caerem. Episc.* de Missa sollemni, quae coram Episcopo celebratur.

18. Ad Evangelium non portantur luminaria, sed incensum tantum, et petitur benedictio.

19. Dicitur *Pax Domini sit semper vobiscum*; sed non datur pacis osculum, nec dicitur *Agnus Dei*, nec Communio.

20. Post Communionem Celebrantis, Episcopus sedet cum mitra, et Chorus incipit *Alleluja* pro Vesperis.

21. Celebrans in cantu incipit Antiphonam ad Magnificat: *Vespere autem Sabbati*, quam prosequitur Chorus.

22. Interim Episcopus sedens cum mitra imponit, et benedicit incensum de more, ministrante Presbytero assistente.

23. Cum inchoatur *Magnificat* Episcopus, deposita mitra, surgit, stans cum baculo inter manus junctas usque ad finem Cantici, et versiculi *Sicut erat*.

24. Celebrans thurificat Altare more solito; quo thurificato, stans in cornu Epistolae thurificatur a Diacono duplici ductu.

25. Episcopus thurificatur triplici ductu a Presbytero assistente, et alii de more, ut alias.

26. Cum repetitur Antiphona, Episcopus sedet, accepta mitra; et ea finita, surgit, deposita mitra.

27. Celebrans dicit: *Dominus vobiscum*, et Orationem, et Diaconus *Ite Missa est* cum duplici *Alleluja*.

28. Episcopus accepta mitra et baculo dat benedictionem sollemnem, et publicantur Indulgentiae per Celebrantem, ut alias.

29. Celebrans, facta reverentia Cruci in medio

cum ministris, accedit ad cornu Evangelii, et ibi legit Evangelium S. Joannis.

30. Tandem cum debitis reverentiis Altari, et Episcopo, redit cum ministris ad Secretarium.

31. Episcopus exuitur sacris paramentis per Diaconos assistentes, et facta oratione ante Altare in faldistorio, discedit cum solito comitatu.

CAPUT IV.

DE SABBATO SANCTO.

Episcopo Celebrante Missam pro collatione Ordinum in Sacello sui Palatii.

§. I.

De Praeparandis.

In Secretario Sacelli.

1. Vasa florum pro Altari.
2. Intorticia pro elevatione Missae.

In Altari.

1. Sabbato Sancto summo mane vestiuntur Altare Sacelli, et Credentia.
2. Altare cum Cruce, et candelabris cum candelis extinctis.

3. Duo Pallia ad Altare applicantur, et aptantur, ut cum opus fuerit, faciliter removeri possit violaceum, et remaneat album, ut infra dicetur.

4. Paramenta pro Episcopo super illud, videlicet: Gremiale, annulus, planeta, chirothecae, dalmatica, tunicella, et stola coloris violacei, crux pectoralis, manipulus, et cingulum violacei coloris, alba, amictus: omnia velo violaceo cooperta.

Insuper mitra simplex, et Pastorale in cornu Epistolae.

5. In cornu Epistolae Altaris faldistorium cum veste, et pulvinaribus violaceis: deinde albis.

In Credentia.

1. Pelvis argentea cum Sandaliis albi coloris.

2. Alia Paramenta Pontificalia coloris albi pro Missa, videlicet: Mitra auriphrygiata, gremiale, planeta, chirothecae, dalmatica, tunicella, stola, cingulum album; (Si fuerit Archiepiscopus Pallium cum velo, et spinulis in Capsula): et velum sericum violaceum supra.

3. Cussinus albus pro Missali, et Manipulus albus Episcopi.

4. Vasa argentea ad lavandas manus, et mantile ad abstergendum.

5. Calix Episcopi cum purificatorio, patena cum duabus Hostiis, palla, velo, et bursa cum corporali.

6. Pyxis cum particulis pro Ordinandis.

7. Vasa argentea pro praegustatione, et ampullae vini et aquae.

8. Velum album sericum pro tegendis in fine paramentis Missalibus super Altari.

9. Missale.

10. Canon Missae, et bugia cum candela.

11. Pontificale Romanum.

12. Mappa linea pro gremio Episcopi.

13. Forfices pro Tonsurandis.

14. Claves Ecclesiae, et Campanula pro Ostiariis.

15. Liber lectionum, seu Breviarium pro Lectoribus.

16. Rituale pro Exorcistis.

17. Candelabrum cum cereo extincto, et urceolus vacuus pro Acolythis.

18. Calix vacuus cum patena, pelvicula cum urceolis vini et aquae, et manutergio, et Epistolarium pro Subdiaconandis.

19. Evangeliarium pro Diaconandis.

20. Tres Stolae albi coloris pro Canonicis pro impositione manuum in Ordinatione Sacerdotum.

21. Item Oleum Catechumenorum, Calix cum vino et aqua, et patena cum hostia, et mappulae pro Sacerdotibus.

22. Cerei pro omnium Ordinatorum oblatione.

23. Ad vasa argentea pro lótione manuum Episcopi additur medulla panis.

24. Velum oblongum pro Communione.

25. Calix cum mappula pro purificatione.

26. Tabella Indulgentiarum.

In Aula Majori Palatii.

1. Planetae, dalmaticae, tunicellae cum stolis, et manipulis albi coloris pro Ordinandis. Item amictus, albae, et cingula pro iisdem.

2. Superpellicea pro Magistris Caeremoniarum, Cappellanis, et Clericis.

3. Rochetta, et Cappae pro Canonicis.

4. Vasa cum mica panis, et mantilia pro lotione manuum Sacerdotum.

§. II.

De Praemittendis.

1. Ordinationes Sacrorum Ordinum, statutis a jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis praesentibusque ad id Ecclesiae Canonicis, publice celebrentur (*a*).

2. Episcopus nequit generales Ordinationes peragere extra Cathedralem (*b*).

3. Si vero ob aegritudines, vel alia incommoda non possit ad Ecclesiam Cathedralem accedere pro explendo toto sollemni officio hujus Sabbati Sancti, et velit Ordinationes peragere in Sacello sui Palatii, officium incipitur a prima Prophetia juxta praescriptum Pontificalis Romani (*c*).

4. Et Sacra Rituum Congregatio ad dub. 1. utrum in Sabbato Sancto pro Collatione Sacrorum Ordinum Episcopus in suo domestico oratorio teneatur Missam cum Prophetiis, ut in Missali, celebrare? Rescribendum censuit: Ad 1. Affirmative: *Idest pro collatione sacrorum Ordinum*

(*a*) Pontif. Rom. *de Ordinibus conferendis.*

(*b*) Ita declaravit ac servari mandavit S. R. C. *die* 16*Sept.* 1747 *Decr. Aut. Tom. IV. n.* 4044. *ad* 2.

(*c*) Pontif. Rom. *De Ordinibus conferendis.*

in Sabbato Sancto Missa incipienda est a Prophetiis. Et ita declaravit (*a*).

5. Canonici compelli possunt ad Episcopo, ut sibi inserviant, dum ipse Ordinationes peragit in sui Palatii Sacello (*b*). Et tunc tres tantum Canonici debent Episcopo inservire (*c*).

6. Magistri Caeremoniarum cum Cappellanis, Scutiferis, et Clericis omnia supradicta in §. 1. parabunt, expectantes horam ab Episcopo statutam pro Missa.

7. Ordinandi pariter erunt expectantes in Aula Majori ante Sacellum, et deinde omnes debent se in Sacello praesentare cum tonsura, habitu, et paramentis ordini suo convenientibus, et candelis in manu accensis. Et cum a Notario Episcopi nominati fuerint, respondeant *Adsum*: et accedant ad locum Ordinationis, secundum ordinem descriptionis.

(*a*) Die 21 Martii 1744. Dec. Aut. tom. IV. n. 4004. ad 1.

(*b*) Et ita decrevit, ac servari mandavit S. R. C. *die* 9. *Junii* 1696. *Dec. Aut. Tom. III.* 3242.

(*c*) S. R. C. *die* 7. *Dec.* 1658. *Decr. Aut. Tom. II. n.* 1797. *ad* 1.

§. III.

De Missa, et Collatione Ordinum cum Vesperis.

1. Hora ab Episcopo praestituta tres Canonici Ecclesiae Cathedralis in Aula Palatii Episcopalis induuntur habitu Canonicali, et ex Aula ad Cubiculum Episcopi.

2. Episcopus Rocchetto et Mozzetta indutus cum suo comitatu e Cubiculo ad Sacellum, absque aspersione aquae benedictae in ingressu hoc Sabbato Sancto.

3. Orat in genuflexorio ante Altare; deinde surgit, et sedet in Faldistorio ibi parato in cornu Epistolae Altaris.

4. Scutiferi cum Sandaliis albis ad Episcopum.

5. Episcopus sedens, accipit Sandalia alba, quia illa non mutat, legit Psal: *Quam dilecta* cum *Gloria Patri etc.* et alias Orationes, et versiculos consuetos, accedentibus ministris de libro, et bugia.

6. Deinde deponit Mozzettam, et lavat manus more solito.

7. Accedentibus Acolythis cum paramentis Missalibus, Episcopus per manus Canonicorum assistentium induitur amictu, alba, cingulo, et ma-

nipulo coloris violacei, cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis, et planeta violaceis, (non tamen pallio si sit Archiepiscopus), ac mitra simplici.

8. Et accipit annulum a Presbytero assistente.

9. Cum Episcopus fuerit paratus cum mitra et baculo de Faldistorio accedit ad Altare, ubi deposita mitra et baculo ascendit cum suis assistentibus, et osculatur Altare in medio.

10. Osculato Altari, ibi in medio recipit mitram et baculum, et revertitur ad Faldistorium.

11. Episcopus sedet, et accipit gremiale, et accedentibus ministris de libro et bugia, legit primam Prophetiam: qua finita, Episcopus surgit, deposito gremiali, et mitra, et conversus ad Altare dicit *Oremus*, et Diaconus assistens ad ejus dexteram dicit *Flectamus genua*, et omnes genuflectunt, excepto Episcopo, alter vero ad sinistram *Levate*, et omnes surgent; ipse vero Episcopus prosequitur orationem, stans manibus extensis, sustinente librum Presbytero assistente in habitu canonicali.

12. Episcopus sedet, accepta mitra, et gremiali, et eodem ordine legit alias Prophetias, et post quartam, octavam, et undecimam lectionem, seu Prophetiam legit Tractum, et pariter per eosdem

Diaconos assistentes suo tempore dicitur: *Flectamus genua* et *Levate*, ut in Missali: post ultimam lectionem non dicitur *Flectamus genua*.

13. Finitis Lectionibus Episcopus deponit paramenta missalia usque ad stolam exclusive, et cum mitra procumbit super faldistorio ante Altare, et Ordinandi prosternent se per gyrum.

14. Episcopus recitat Litanias, ut in Missali, et Canonici, et Clerici repetunt omnia quae Episcopus dicit.

15. Ad ℣. *Peccatores* tollitur Pallium violaceum ab Altari: accenduntur candelae, et vasa florum inter Candelabra apponuntur.

16. Episcopus prosequitur Litanias usque ad ℣. *Ut omnibus fidelibus defunctis etc.*, quo repetito a Clero, surgit cum mitra, vertit se ad Ordinandos, et tenens sinistra Pastorale, eos, ut in Pontificali, ter benedicit cum propriis versiculis: *Ut hos electos etc.* adstantibus ministris de libro et bugia: quibus dictis, Episcopus iterum procumbit et prosequitur Litanias usque ad *Christe exaudi nos* inclusive.

17. Deinde surgit Episcopus, et deposita mitra, ac stola, et cingulo violaceo ante Altare, accipit cingulum album, et paramenta missalia albi coloris (ac Pallium, si fuerit Archiepiscopus.)

18. Interim removetur faldistorium de medio Altaris, et ablata veste et pulvinaribus violaceis, vestitur veste alba cum pulvinaribus albi.

19. Postquam Episcopus est albis paramentis indutus ante Altare, facit confessionem cum Psalmo *Judica etc.*, et accipit manipulum de more.

20. Ascendit Altare, completaque oratione, *Aufer a nobis etc.* in ejus medio dicit immediate *Kyrie eleison*, ut alias, cum non legatur Introitus.

21. Collocatur faldistorium in medio Altaris, et Episcopus in illo sedet, renibus Altari versis, et procedit ad Tonsurandos, ut in Pontificali.

22. Clericis ordinatis, tollitur Faldistorium, et in medio Altaris dicit *Gloria in excelsis Deo etc.*

23. Tunc pulsatur campanula.

24. Hymno dicto, iterum sedit in faldistorio in medio Altaris, et ordinat ad Quatuor minores ordines.

25. Deinde dicit: *Pax vobis*, et orationem *Deus, qui hanc sacratissimam noctem etc.* cum collecta pro ordinandis *Exaudi quaesumus Domine etc.* sub unica conclusione.

26. Quibus dictis, sedet, ut supra, in faldistorio, et ordinat Subdiaconos.

27. Tum dicit Epistolam, et ea dicta ordinat Diaconos.

22

28. Diaconis ordinatis dicit ter *Alleluja* elevando gradatim vocem, et assistentes post quamlibet vicem in eodem tono repetent illud, et Episcopus prosequitur versiculum, et primam partem Tractus.

29. Quibus dictis ordinat Presbyteros.

30. Presbyteris ordinatis dicit ultimum versum Tractus: *Quoniam confirmata est etc.* et Evangelium.

31. Non dicitur *Credo*, et post *Dominus vobiscum* dicit *Oremus.*

32. Non dicitur Offertorium, sed Episcopus sedens cum mitra in faldistorio in medio Altaris, accipit offertorium ab omnibus ordinatis.

33. Accepto singulorum offertorio, depositis annulo et chirothecis, lavat manus, et reassumpto annulo, surgit sine mitra, ac tollitur faldistorium, et prosequitur Missam cum Sacerdotibus noviter ordinatis de more.

34. Non dicitur *Agnus Dei*; nec datur hodie osculum pacis.

35. Episcopus, communicatis omnibus Ordinatis, et sumpta purificatione, accipit mitram, et lavat manus. Et stans in cornu Epistolae, versus ad illud; inchoat, ministris prosequentibus, Responsorium: *Jam non dicam vos servos etc.*, et perfi-

cit ordinationem Presbyterorum, ut in Pontificali.

36. Non dicitur Communio, sed ejus loco dicuntur Vesperae, ut in Missali, videlicet.

37. Episcopus in cornu Epistolae dicit Antiphonam *Alleluja etc.* et cum Ministris prosequitur Psal. *Laudate Dominum etc.*, et in fine repetitur *Alleluja.*

38. Deinde subdit Antiphonam *Vespere autem Sabbati etc.* cum Cantico *Magnificat.*

39. Repetita Antiphona: *Vespere autem Sabbati etc.* Episcopus accedit ad medium Altaris, osculatur illud, et versus ad Populum dicit *Dominus vobiscum*, et postea Orationem seu postcommunionem: *Spiritum nobis Domine etc.* cum Collecta Ordinatorum: *Quos tuis, Domine, etc.* sub unica conclusione.

40. Episcopus iterum in medio dicit *Dominus vobiscum*; et *Ite Missa est Alleluja, alleluja.*

41. Episcopus dicto *Placeat etc.* dat sollemnem Benedictionem de more.

42. Affertur faldistorium, Episcopus sedet, et accipit mitram, et gremiale.

43. Interim Presbyter assistens publicat Indulgentias.

44. Genuflectunt omnes Ordinati, et attente

audiunt Episcopum eos sic alloquentem: *Filii dilectissimi*, *diligenter etc.*, ut in Pontificali.

45. Episcopus deponit gremiale et mitram, et surgit amoto faldistorio, (et si fuerit Archiepiscopus deponit Pallium super Altari).

46. Postea incipit ultimum Evangelium, accepta ibique mitra et baculo, prosequens Evangelium procedit ad faldistorium in cornu Epistolae, ubi exuitur sacris vestibus.

47. Ordinati, etiam ad Presbyteratum dicunt idem Evengelium, et in Aula majori sacras vestes deponunt, et cum eis alii ordinati.

48. Accedunt Scutiferi ad Episcopum pro Sandaliis detrahendis.

49. Episcopus legit Antiphonam: *Trium puerorum etc.* cum *Alleluja*, et Canticum, ac Psalmum pro gratiarum actione.

50. Tandem Episcopus facta Oratione ante Altare in genuflexorio, redit ad Cubiculum cum solito comitatu.

51. Supradicta servari debent ab Episcopo quando Ordinationes peragit in Sacello Palatii Episcopalis, exceptis iis quae pertinent ad Officium hujus Sabbati Sancti, et facta aspersione aquae benedictae ad ingressum Sacelli, Canonico digniori aspersorium ei porrigente. In reliquis ser-

vetur ritus Pontificalis Romani, et tam paramenta Episcopi, quam stolae pro Canonicis erunt coloris Missae convenientis.

52. Aliqui putant pro Ordinandis semper adhibendum esse colorem album eo modo, quo statuit S. R. C. pro Consecratione Episcoporum, quod scilicet solus Episcopus consecrandus semper uti debet colore albo, Consecrator vero, et Assistentes debent uti colore, qui tempori congruit (*a*). Verum hoc Decretum pro Consecratione Episcoporum emanatum, non videtur servandum esse in Ordinationibus, seu Collationibus Ordinum, et contraria est praxis Sacrosanctae Basilicae Lateranensis, in qua Ordinandi non utuntur colore albo, sed colore qui tempori congruit.

Quae novissime a S. R. C. decreta sunt super Resolutione dubiorum pro Ordinum Collatione hic recensenda putavimus.

7. In Ordinatione Pontifex tradit Ostiariis claves Ecclesiae. In Oratorio, seu Ecclesia, quae unam tantum habeat clavem, haec una clavis est-ne sufficiens pro materia remota Ostiariatus?

Ostiarii debent-ne singuli successive tangere Cla-

(*a*) Die 16. Junii 1663. Dec. Aut. Tom. II. n. 2076. ad 2.

ves? Sufficit-ne simul tangere, et non successive, et super duos, vel tres, aut quatuor simul tangentes materiam, proferre formam Ordinationis?

Similiter ex Pontificali debent successive tangere Calicem, et Patenam Subdiaconi, et Presbyteri in eorum Ordinatione. Sufficit-ne, quod simul tangant, et non successive singuli, et super duos, aut tres, aut quatuor simul tangentes materiam, proferre formam, dum Pontificale dicit: *Accipite*?

11. Minores Ordines post meridiem Feriae VI. ante Sabbatum Ordinum, possunt-ne conferri, uti fit?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, exquisita prius sententia, et voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exarata typisque evulgata, ad relationem Em. et Rev Dom. Cardinalis Julii Mariae de Somalia Sac eidem Congr. Praefecti, et Ponentis, respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet:

Ad Septimum - Ad primum quaesitum Dubii 7. quamvis una clavis esse possit materia sufficiens pr ordinatione ostiarii, servandam tamen esse Rubricam, quae praecipit claves esse tradendas, quae siv argenteae sint, sive ferreae, sive ligneae, dum modo aptae sint ad aperiendum constituunt mate

riam remotam hujus ordinis - Ad quaesitum secundum : *Affirmative* ad utramque partem ; dummodo qui simul ordinantur ostiarii tangant manu dextera Claves dum Episcopus profert formam. - Ad quaesitum tertium : *Affirmative* quoad Subdiaconos : *Negative* quoad Presbyteros : siquidem juxta Pontificalis Rubricam in Ordinatione Subdiaconorum super duos, vel tres simul manu dextera tangentes Calicem cum Patena potest ab Episcopo proferri forma : *Videte cujus ministerium vobis traditur etc.* In Ordinatione vero Presbyterorum cuilibet tradendus est Calix cum vino, et aqua, et Patena cum Hostia, et cuilibet forma repetenda est in singulari : *Accipe potestatem, etc.*

Ad undecimum - Servandam esse resolutionem S. Congregationis Concilii, quae sub die 13 *Aprilis* 1720 in Portallegren. simili dubio respondit. - *Affirmative* quoad primam Tonsuram ; et quoad caeteros Minores ordines consuetudinem immemorabilem tolerari posse ; sed expedire ut Episcopus se conformet Pontificali Romano *Titulo de minoribus ordinibus.*

Atque ita statuit, ac decrevit (1).

(*a*) *Die* 11. *Martii* 1820. *Decr. Aut. Append. Tom. VI. P. II. n.* 4415. *ad* 7. *et* 11.

CAPUT V.

DE COMPLETORIO SABBATI SANCTI.

1. Sonus harmonicus Campanarum hora congrua pro Completorio.

2. Episcopus cum Cappa, associatus, ut alias, ad Ecclesiam, et pulsantur Organa.

3. Idem post aspersionem, et orationem ante Altare Sacelli SS. Sacramenti, et Altare majus, ad suam Sedem Choralem, et sedet sedentibus omnibus.

4. Post aliquam moram surgit, surgentibus omnibus, et dicente Cantore cum cantu in medio Chori: *Jube Domne benedicere*, Episcopus stans respondeat: *Noctem quietam etc.*

5. Post lectionem brevem Episcopus, signans se signo Crucis, subjungit: *Adjutorium nostrum etc.*

6. Deinde dicto *Pater noster* secreto, Episcopus facit confessionem, et absolutionem dicens: *Confiteor etc. Misereatur vestri etc. Indulgentiam etc.*

7. Intonat deinde cum cantu: *Converte nos etc. Deus in adjutorium etc.*

8. Dicitur *Gloria Patri* in fine, et non amplius *Laus tibi Domine*, sed *Alleluja.*

9. Chorus intonat sine Antiphona Psalmum: *Cum invocarem* cum reliquis consuetis.

10. Incepto Psalmo, Episcopus sedebit, sedentibus omnibus.

11. Completis dictis Psalmis, surgunt omnes, et omissis Antiphona, Hymno, Capitulo, et Responsorio brevi, Hebdomadarius inchoabit Antiph. *Vespere autem Sabbati* quae non duplicatur, sed immediate Cantores intonant Canticum: *Nunc dimittis.*

12. Dum repetitur Antiphona, omnes sedent, eaque completa surgunt, et Episcopus, accedentibus Ministris de libro et bugia tantum (*a*), cantabit, praemisso: *Dominus vobiscum*, Orationem: *Visita etc.*

13. Episcopus subjungit: *Dominus vobiscum*: Duo Cantores in medio Chori: *Benedicamus Domino*, et responso per Chorum: *Deo Gratias*, Episcopus dicit: *Benedicat, et custodiat nos etc.* signans se de more.

14. Deinde Hebdomadarius inchoat in cantu Antiphonam: *Regina Coeli*, Cantoribus prosequentibus.

15. Completa Antiphona, idem Hebdomadarius

(*a*) Memor. Rit. Maj. Hebd.

subjunget in cantu ℣. *Gaude, et laetare etc.* Orationem: *Deus, qui per Resurrectionem etc.*

16. Responso: *Amen*, Episcopus dicit: *Divinum auxilium etc.* et dictis secreto *Pater*, *Ave*, et *Credo*, concluditur Completorium.

17. Deinde cantantur Litaniae Lauretanae, quae singulis quibusque Sabbatis cantantur in hac Sacrosancta Cathedrali Basilica Sulmonensi Deiparae Virgini dedicata (*a*) » ut per eam misericordiam » invenire in die judicii, et quae reposita sunt » iis, qui diligunt Deum, bona consequi possiu » mus, gratia, et benignitate Domini Nostri Jes- » Christi, cum quo Patri simul, et Sancto Spi- » ritui Gloria, et Honor, et Imperium nunc et » semper in saecula saeculorum. Amen «.

(*a*) *S. Joan. Chrysost. apud Metaph.*

TITULUS XI.

SABBATO IN VIGILIA PENTECOSTES (*a*).

CAPUT I.

DE VIGILIA PENTECOSTES CELEBRANTE EPISCOPO.

§. I.

De Praeparandis pro omnibus Functionibus in hac die persolvendis.

In Secretario.

1. Vasa Florum pro Altari majori.
2. Cereus Paschalis pro Benedictione Fontis.
3. Stola, dalmatica, et tunicella rubei coloris pro Diacono, et Subdiacono in Missa.
4. Intorticia pro elevatione ad Missam.

(*a*) Sabbatum Sanctum, et Sabbatum Pentecostes sollemnioribus diebus adnumerantur quoad Functiones Ecclesiasticas. *S.R.C. die* 22. *Augusti* 1654. *Dec. Aut. Tom. II. n.* 1577. *Et Caerem.*

In Aula Minori Paramentorum.

1. Pluvialia violacea pro Ministris, saltem unum pro Ministro de Pastorali juxta Consuetudinem Ecclesiarum.
2. Pluvialia rubei coloris pro iisdem.
3. Planeta plicata violacea pro Cruciferario.

In Aula Majori Paramentorum.

1. Pluvialia, planetae, planetae plicatae coloris violacei pro Dignitatibus, et Canonicis.
2. Pluvialia, planetae, dalmaticae, tunicellae coloris rubei pro iisdem.

In Altari Majori.

1. Altare majus cum Cruce, et septem candelabris argenteis, et candelis extinctis.
2. Sex candelabra parva in ultimo gradu super Mensam cum candelis accensis pro cantanda Nona, et extinguenda, ac removenda expleta Nona.

Episc. Lib. II. Cap. XXVIII. de Sabbato Sancto n. 12. » Et eadem fere omnia servantur in Sabbato Pentecostes «.

3. Duo pallia ad Altare majus applicantur, et aptantur, ut cum opus fuerit, faciliter removeri possit violaceum, et remaneat rubeum, ut infra dicatur.

4. Paramenta pro Episcopo super illud, videlicet: gremiale, annulus, planeta, chirothecae, dalmatica, tunicella, et stola coloris violacei, crux pectoralis, manipulus, et cingulum violacei coloris, alba et amictus, omnia velo violaceo cooperta.

Insuper mitra simplex, pectorale, et pluviale violacei coloris.

5. Pastorale in cornu Epistolae.

6. Legilé nudum pro Prophetiis, deinde cum sua veste rubea pro Evangelio.

7. Duo scabella, sive scamnum a cornu Epistolae prope Altare pro Diacono et Subdiacono.

In Abaco, seu Credentia ejusdem.

1. Thuribulum cum Navicula incenso referta.

2. Vas aquae benedictae cum aspersorio.

3. Manipuli, et planetae plicatae coloris violacei pro Diacono et Subdiacono.

4. Pelvis cum Sandaliis rubei coloris, et velo humerali violaceo.

5. Candelabra cum Cereis albis pro Cerofe-rariis.

6. Alia paramenta coloris rubei pro Missa, videlicet: mitra pretiosa, et mitra auriphrygiata, gremiale, planeta, chirothecae, dalmatica, tunicella, stola, cingulum rubeum; et velum sericum violaceum supra.

7. Duo manipuli rubei coloris pro Diacono et Subdiacono.

8. Vasa argentea ad lavandas manus, et mantile ad abstergendum.

9. Cussinus rubeus pro Missali.

10. Missale, et in eo manipulus rubeus inclusus pro Episcopo.

11. Velum humerale rubeum, pro Subdiacono.

12. Calix Episcopi cum purificatorio, patena cum duabus hostiis, palla, velo, et bursa cum corporali.

13. Vasa argentea pro praegustatione, et ampullae vini et aquae.

14. Tabella Indulgentiarum.

15. Velum sericum rubei coloris pro tegendis in fine paramentis missalibus super Altari.

In Presbyterio, et Choro.

1. Sedes Pontificalis ornatur cortinis duplicibus, videlicet intus rubea, exterius violacea.

2. In reliquis ornatur Ecclesia, Altare, Abacus, et Chorus, prout in Dominicis Adventus, et Quadragesimae, sed cerei relinquuntur extincti donec erit tempus accendendi, ut infra.

3. Faldistorium cum veste, et pulvinaribus violaceis, deinde rubeis pro mutatione Paramentorum.

4. Missale cum suis tegumentis violaceo, et rubeo.

5. Liber Canonis, et bugia.

6. Missale pro Litaniis.

7. Graduale, et Antiphonarium pro Responsorio *Sicut cervus etc.*

In Baptisterio pro Benedictione Fontis, et pro Baptismo, et Confirmatione parantur omnia, ut in Sabbato Sancto supra *Tit. X. Cap. I. §. I.*

CAPUT II.

DE SANCTIS RITIBUS IN HAC VIGILIA PENTECOSTES PERAGENDIS.

§. I.

De accessu Episcopi.

1. Dicta Sexta, Subdiaconus in albis in scabello prope Altare; et Canonici ad Episcopum.

2. Episcopus cum Cappa solito comitatu ad Ecclesiam.

3. Post consuetam aspersionem, et orationem ante Sacellum SS. Sacramenti, et ante Altare majus, ad propriam Sedem cum Diaconis assistentibus, et sedet aliquantulum.

§. II.

De Nona, et Prophetiis usque ad Benedictionem Fontis.

1. Episcopus surgit, et dicit secreto totum *Pater noster*, et *Ave Maria* pro Nona inchoanda; deinde cantat *Deus in adjutorium etc.*

2. Hymnus, et Antiphona per Cantores.

3. Incepto Psalmo *Mirabilia testimonia tua etc.*

Episcopus sedebit, sedentibus etiam omnibus, exceptis his, qui Episcopo ministraturi sunt; Chorus autem prosequetur Psalmos cum cantu sine organo.

4. Subdiaconus in albis cum sandaliis rubei coloris, et velo humerali violaceo ad Episcopum cum ministris de more.

5. Episcopus sedens legit Psalmos consuetos pro praeparatione, et accipit sandalia rubea, quia illa non mutat, per Subdiaconum in albis.

6. A Subdiacono in albis cantatur Capitulum Nonae in Presbyterio ante cornu Epistolae, Episcopo stante.

7. Dum cantatur ℟. br. Ceroferarii ad Episcopum.

8. Episcopus stans cantat *Dominus vobiscum*, et Orationem, substinente Librum Presbytero assistente in suo habitu Canonicali (*a*).

9. Circa finem Nonae, antequam Episcopus cantat Orationem, Diaconus cantaturus Evangelium accipit amictum, albam, cingulum, et stolam violaceam.

10. Completa Nona, Episcopus deposita Cap-

(*a*) *Caerem. Episc. Lib. II. Cap. XXIII. n.* 2.

pa, lavat manus more consueto, ministrante Presbytero assistente in habitu Canonicali (*a*).

11. Removentur sex candelabra parva cum candelis accensis in ultimo gradu super Mensam Altaris, et candelae in septem candelabris remanent extinctae usque ad ℣. *Peccatores*, ut infra dicetur.

12. Interim Diaconus et Subdiaconus, sequentibus Acolythis, cum Paramentis Pontificalibus Missalibus coloris violacei, ad Episcopum.

13. Recedentibus Presbytero et Diaconis assistentibus ad loca sua inter Canonicos, Episcopus per manus Diaconi et Subdiaconi induitur amictu, alba, cingulo, et manipulo violaceo, cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis, et planeta ejusdem coloris violacei, inde sumit mitram simplicem.

14. Canonici parantur eodem tempore, ita tamen, ut tunc accipiant paramenta violacea sui ordinis, quando Episcopus accipit planetam.

15. Accedentibus Presbytero et Diaconis assistentibus paratis, Diaconus et Subdiaconus recedunt; et in propriis locis accipiunt manipulos, et planetas plicatas.

(*a*) *Caerem. Episc. Lib. II. Cap. XXIII. n.* 6.

16. Episcopus accipit annulum a Presbytero assistente.

17. Minister de Pastorali ex Aula minori cum pluviali ad Episcopum.

18. Cum Episcopus fuerit paratus, descendit cum mitra et baculo de sua Sede, et comitantibus praedictis assistentibus, et Ministris, accedit ad Altare.

19. Episcopus ante Altare cum assistentibus, ubi deposita mitra in plano per Diaconum Evangelii, et Subdiaconum, ascendit medius inter dictos Diaconum et Subdiaconum, et osculatur Altare in medio; deposito interim baculo, remanentibus in plano Presbytero et Diaconis assistentibus: et mox facta Cruci reverentia, et recepta mitra et baculo, revertitur ad eamdem suam sedem cum Presbytero et Diaconis assistentibus, remanentibus Diacono et Subdiacono in scamno, aut scabellis apud cornu Epistolae, ut in Missa sollemni Episcopo celebrante.

20. Locatur in medio Chori, vel Presbyterii pulpitum, sive Legile nudum.

21. Episcopus sedens accipit gremiale, et omnibus sedentibus ducitur a Caeremoniario aliquis Acolythus, sive Cantor indutus cotta; qui, factis debitis reverentiis Altari, et Episcopo, can-

tat sine titulo primam Prophetiam ; qua finita accedit cum debitis reverentiis ad osculandam manum Episcopi.

22. Tum Episcopus surgens, deposito gremiali et mitra, dicit *Oremus*, et prosequitur Orationem stans manibus extensis, sustinente librum Presbytero assistente more solito.

23. Cantantur deinde aliae Prophetiae ab Acolythis, vel Cantoribus eodem ordine, et easdem Episcopus legit apud sedem suam, et post secundam, tertiam, et quartam Lectionem, seu Prophetiam, Episcopus legit ex Libro Tractum, accedentibus Ministris, dum cantatur a Choro.

24. Interim dum Prophetiae cantantur, Presbyteri catechizent catechumenos, sive infantes baptizandos, et praeparent ad Baptismum.

25. Circa finem ultimae Prophetiae Cruciferarius cum planeta plicata violacea ex Aula minori ad Presbyterium, et Acolythus cum Cereo Paschali accenso e Secretario ad Presbyterium prope Crucem.

§. III.

De Benedictione Fontis ab Episcopo facienda.

1. Finitis Prophetiis, Diaconus et Subdiaconus, depositis manipulis et planetis, ad Episcopum, qui, recedente Presbytero assistente tantum, paramenta missalia deponit, retenta stola, et accipit pluviale violaceum, et mitram simplicem.

2. Accenduntur Cerei in Candelabris ad Credentiam.

3. Clerici se disponunt hinc inde in Presbyterio pro Processione.

4. Parato Episcopo Diaconus et Subdiaconus ad propria loca pro sumendis planetis plicatis tantum, deinde inter Canonicos.

5. Schola incipit Tractum *Sicut cervus etc.*, et proceditur ad Benedictionem Fontis hoc ordine.

I. Mazzerius.

II. Clerici Seminarii, et alii.

III. Mansionarii.

IV. Schola cantans, ut supra.

V. Familiares Episcopi cum Scutiferis hinc inde.

VI. Minister cum Cereo.

VII. Cruciferarius paratus cum Cruce inter Ceroferarios.

VIII. Canonici parati, inter quos Presbyter assistens, Diaconus et Subdiaconus eorum ordine.

IX. Episcopus cum mitra et baculo inter Diaconos assistentes.

X. Ministri de Pastorali, mitra, libro, et bugia.

XI. Vicarius Generalis, et Protonotarii.

6. Omnes, factis reverentiis Episcopo, et Altari, hinc inde ad Fontem.

7. Ibi sic situantur.

I. Mazzerius ad ingressum septi.

II. Clerici, et Mansionarii cum Schola in gyrum post sedilia Canonicorum.

III. Acolythus Cerei, et Cruciferarius cum Ceroferariis prope cancellos Fontis.

IV. Canonici, Vicarius Generalis, et Protonotarii in sedilibus intra septa.

V. Episcopus cum suis assistentibus contra Crucem ante cancellos.

8. Et circa benedictionem Fontis omnia servantur, ut supra in Sabbato Sancto *Tit. X. Cap. I. §. VI.*, excepta prima Oratione, antequam Episcopus intret ad Benedictionem Fontis, quae erit: *Concede quaesumus etc.*, ut in Missali in hac Vigilia.

9. Procedit deinde ad Baptismum, in quo pariter omnia servantur, ut supra in Sabbato San-

cto, *Ibid.* §. *VIII. De Baptismi administratione*.

10. Et quidem quod solis primum Episcopis jus baptizandi resederit, constans et indubitata sententia est, quam viri passim eruditi non modo Tertulliani suffragio probant, sed Tertulliano longe antiquioris Ignatii Martyris, tertium post S. Petrum Antiochenae Sedis Episcopi in Epistola ad Smyrnenses scribentes, *non esse licitum sine Episcopo neque baptizare, neque Agapes facere*. Apud Graecos eamdem plane viguisse disciplinam, uti non obscure innuit Theodoretus, qui *Lib. I. Historiae Eccles.* mentionem facit cujusdam stolae ex aureis filis contextae, quam Constantius Imperator ad Ecclesiam Hierosolymitanam cohonestandam Macario illius Urbis Episcopo donaverat, ut ea amictus sacrum Baptismatis ministerium obiret. Eam disciplinam clare evincit Instructio Cleri Edesseni ad Photium, et Eustachium Episcopos, uti legitur in Actione X. Concilii Chalcedonensis. Plura eamdem in rem testimonia veterum Patrum affert Martene (*a*). Hanc fuisse S. Romanae Ecclesiae, atque aliarum complurium disciplinam Saeculo XIII. ut Papa Romae, et Episco-

(*a*) *Lib. I. de antiquis Ecc. Rit. Cap. I. Artic. III. Num.* 11.

pi in Ecclesiis suis Sabbato ante Resurrectionem Domini, et Sabbato ante Pentecosten sollemni ritu baptismum ministrarent, expresse edicit Londinensis Synodus (a): *Cum summus Pontifex personaliter illud Mysterium sollemnizet, et diebus baptizet sollemniter memoratis, et in aliis mundi partibus servet Ecclesia illud idem.* Sensim plane factum est, ut Episcopi, qui soli olim baptizabant, nunc fere soli non baptizent, unde aequa est Martenii expostulatio, *quod plures mulierculae, et obstetrices privatis in domibus tingant, quam Episcopi in Templis.* Priscis Canonibus inhaerens Romana Synodus (b) a Benedicto XIII. celebrata edixit: *Non est Parochorum tantum, quod juxta Canonum statuta, Rituali Romano praescribitur, ut sollemnis scilicet per eos bis in anno, utroque Sabbato ante sacratissimum Pascha, et Pentecosten, Baptismalis Fontis benedictio persolvatur, sacrumque Baptisma tunc sollemnius ministretur. Speciali id etiam ratione ab Episcopis exigit Caeremoniale Episcoporum; et Nos ipsis praecipuas inter Pontificalis Ordinis actiones non minori sollicitudine commendamus.* Id Romae accu-

(a) *Anni* 1237. *Can. III.*

(b) Anno Christi 1725. Tit. XXVI. Cap. I.

ratissime ab eodem Pontifice fieri ab omnibus visum, qui hujus ritus tenacissimus fuit, quippe qui in ipsorum Festorum vigiliis multa hominum millia baptizavit, ut tradit Catalanus. Omissis aliis Synodis, mandat S. Carolus in IV. Synodo Provinciali Mediolanensi, ut infantes hebdomada Paschae et Pentecostes accedente in lucem editi, ad praecipuam Urbis Ecclesiam deferantur, ut ab Episcopo salutari lavacro regenerentur, a qua etiam sollemnitate quemcumque Presbyterum tam Urbis, quam Dioecesis abstinere cautum est. In pluribus Ecclesiarum Ordinariis id quidem commendatur, ut serventur infantes baptizandi in ipsis Sabbatis Paschae, et Pentecostes, dum Baptismalis Fontis Benedictio peragitur juxta praescriptum Caeremonialis Episcoporum, ut scilicet Sanctae Ecclesiae exprimatur finis, et istius Caeremoniae retineatur antiquitas. Hunc ritum ab initio nostri Episcopatus exactissime servavimus quotannis in ipsis Sabbatis Paschae et Pentecostes in nostra Cathedrali Basilica Sulmonensi, in qua solum adest Fons Baptismalis, juxta antiquam Ecclesiae disciplinam.

11. Si post Baptismum Episcopus vellet etiam confirmare baptizatos, uti in hac Vigilia Pentecostes servatur in Basilica Lateranensi, omnia pa-

riter servantur, ut supra in Sabbato Sancto. *Ibid.* §. *IX. De Confirmatione etc.*

§. IV.
De Litaniis usque ad principium Missae.

1. Episcopus post Baptismum, vel post Confirmationem, ut dictum est supra, deponit paramenta alba, et accipit stolam, et pluviale violaceum cum pectorali, et mitram simplicem.

2. Omnes ordine, quo venerant, redeunt ad Presbyterium, et Chorum.

3. Acolythus cum Cereo ad Secretarium, ubi extinguit Cereum, et tradit eum Sacristae ad reponendum in solito armario; et Cruciferarius, qui deponit paramenta sacra, et accepta cotta una cum praefato Acolytho redeunt ad Chorum.

4. Diaconus et Subdiaconus ad própria scabella, ubi planetas plicatas deponunt, et inde ad faldistorium Episcopi sic in albis.

5. Episcopus ante Altare, retenta mitra, deponit pectorale ac pluviale per manus Diaconi et Subdiaconi: et ipsis recedentibus ad propria scabella, cum mitra procumbit ante illud in Faldistorio cum Diaconis assistentibus hinc inde, et omnes in suis locis genuflectunt.

6. Et duo Cappellani, sive Cantores genuflexi ante scabellum versus cornu Epistolae retro Episcopum, habentes ante se librum, inchoabunt Litanias, respondente Choro, et repetente omnia, quae ipsi Cappellani, sive Cantores dicunt (*a*).

7. Dicto *S. Maria ora pro nobis*, Diaconus et Subdiaconus procedunt ad Secretarium, ibique Diaconus, deposita stola violacea, accipit stolam et dalmaticam rubei coloris, et Subdiaconus tunicellam ejusdem coloris, ut praesto sint ad induendum Episcopum.

8. Interim deputantur sex Clerici pro mutatione Sedis Pontificalis: duo pro mutatione pallii Altaris majoris: sex pro asportandis in Aulam paramentis violaceis Canonicorum.

9. Duo Clerici pro accendendis candelis Altaris tempore suo.

10. Ad Secretarium quatuor, vel sex Clerici pro deferendis vasis florum pro Altari.

11. Apud Abacum duo Ceroferarii: item duo Clerici pro faldistorio, et pulvinaribus.

(*a*) Non geminandum illud *Per adventum Spiritus Sancti Paracliti*, sed tantum altiori, et modulata voce decantandum. Vide quae diximus in adnotationibus ad Litanias Sabbati Sancti.

12. Et cum perventum fuerit ad ℣. *Peccatores*, Episcopus surgit et ante Altare per Diaconum et Subdiaconum, tunc et non prius accedentes, deposita mitra, et stola violacea, accipit paramenta missalia rubei coloris, recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos.

13. Canonici in locis suis deponunt paramenta violacea, et accipiunt rubea.

14. Ministri cum pluvialibus, vel saltem Minister de Baculo juxta consuetudinem Ecclesiarum, ad Aulam minorem pro deponendis pluvialibus violaceis, et accipiendis rubeis.

15. Cantores interim post ℣. *Peccatores* prosequuntur lentiori cantu Litanias, et dum Canonici mutant paramenta, Mansionarii, et alii, qui non sunt impediti eadem mora respondent.

16. Interim removentur etiam ab Altari, et Sede Episcopi pallia violacea, et accenduntur luminaria. Item apponuntur vasa florum inter Candelabra.

17. Removentur a Faldistorio tegumenta et pulvinaria violacea, et apponuntur rubea.

18. Apponitur Cussinus rubeus super Altari pro Missa.

19. Cappellani vero, sive Cantores jam dicti prosequuntur Litanias usque ad finem, respon-

dente Choro, ut supra, et in fine cantatur *Kyrie eleison* cum pausa convenienti, donec Episcopus fuerit in sua Sede ad cantandum *Gloria in excelsis Deo etc.*

§. V.

De Principio Missae usque ad finem.

1. Episcopus, postquam est rubeis paramentis paratus, facit Confessionem cum Ministris, more solito; ascendit ad Altare, illudque, ac librum Evangeliorum osculatur, imponit incensum in thuribulum, et benedicit, incensat Altare, et incensatur ipse a Diacono, et revertitur ad Sedem suam, ubi dicto *Kyrie eleison* cum Presbytero, et Diaconis assistentibus, cantat *Gloria in excelsis Deo etc.*

2. Tunc pulsantur Campanae, et Organa.

3. Prosequitur Missa Pontificalis de more, servatis omnibus Caeremoniis, quae late explicatae sunt in *cap. VIII. lib. II. Caerem. Episc.* hoc tantum excepto, quod ad Evangelium non portantur luminaria, sed tantum incensum, et petitur benedictio.

CAPUT III.

DE VIGILIA PENTECOSTES

Episcopo assistente cum Cappa.

§. I.

De Praeparandis.

1. Praeparantur omnia, quae supra dicta sunt *De Sabbato Sancto Episcopo assistente cum Cappa tit. X. cap. II. §. I.*

§. II.

De accessu Episcopi.

1. Post Nonam Canonicus celebrans, et Diaconus et Subdiaconus cum planetis violaceis ante pectus plicatis sedebunt in aliquo scamno à sinistris Altaris expectantes adventum Episcopi.

2. Canonici ad Episcopium.

3. Episcopus cum Cappa solito comitatu ad Ecclesiam.

4. Post consuetam aspersionèm, et Orationem ante Sacellum SS. Sacramenti et ante Altare majus, ad propriam Sedem cum Diaconis assistentibus, et orante Episcopo, surget Celebrans cum

ministris, qui, donec Episcopus orabit, stabunt, et Episcopo sedente, sedebunt.

5. Cum Episcopus aliquantulum in sua Sede quieverit, locabitur in medio Chori, seu Presbyterii pulpitum nudum, et deducetur a Caeremoniario aliquis Acolythus, vel Clericus, sive Cantor cotta indutus ad cantandam primam Prophetiam, et omnia fiant, ut supra *De Sabbato Sancto Episcopo assistente cum cappa tit. X. cap. II. §. III. et sequentibus*, hoc tantum excepto, quod finita Epistola, non fit annuntiatio per Subdiaconum, ut in Sabbato Sancto, sed Missa prosequitur de more cum Caeremoniis descriptis in *cap. IX. Caerem. Episc. lib. II. De Missa Sollemni, quae coram Episcopo celebratur.*

6. Ad Evangelium non portantur luminaria, sed incensum tantum, et petitur benedictio.

CAPUT IV.

DE VIGILIA PENTECOSTES.

Episcopo assistente ad Missam tantum.

§. *Unicus.*

1. Parantur omnia, et omnia fiant, ut supra dictum est *De Sabbato Sancto Episcopo assistente ad Missam tantum juxta morem Cappellae Papalis Tit. X. cap. III. per totum*, his tantum exceptis.

2. Paramenta Episcopi erunt coloris rubei.

3. Finita Epistola non fit annuntiatio per Subdiaconum, nec cantantur Vesperae post Communionem Celebrantis, ut in Sabbato Sancto, sed Missa prosequitur de more cum caeremoniis praescriptis in *Cap. IX. Lib. II. Caerem. Episc. De Missa sollemni, quae coram Episcopo celebratur.*

4. Ad Evangelium non portantur luminaria, sed incensum tantum, et petitur benedictio.

APPENDIX

DE CANONICIS HABENTIBUS USUM MITRAE.

CAPUT UNICUM

Ut Manuale nostrum numeris omnibus absolutum prodiret, quid agendum erit in Ecclesiis Cathedralibus a Canonicis habentibus usum mitrae, in hac Appendice recensendum curavimus.

§. I.

De qualitate mitrae, Canonicorum.

1. Mitrae Canonicorum nequeunt esse ex serico damasceno, neque ex oloscrico ormesino, neque cum fregiis aureis, sed ex tela alba.

§. II.

De usu mitrae coram Episcopo.

1. Canonici, qui habent usum mitrae debent servare omnia, et singula in hoc Manuali expressa, hoc tantum excepto, quod quando sunt sacris paramentis induti, loco bireti, accipiunt mitram, quam unusquisque sibi imponit, et aufert sine ope ministri.

2. In ablutione Altaris Majoris, quae fit in Metropolitana Ecclesia Beneventana in Sero Feriae V. Majoris Hebdomadae, sex Dignitates, qui Archiepiscopo assistere debent, depositis cappis, accipiunt supra rochettum superpellicea, et stolas nigras, et mitras sibi imponunt (*a*).

3. Canonicus celebrans dum Episcopus induitur sacris vestibus, aut ascendit Solium, non potest stare coopertus mitra.

4. Canonicus celebrans non potest uti Sandaliis, pulvino ad pedes, palmatoria, nec etiam, si sit Dignitas, baculo.

5. In Missis sollemnibus solus Presbyter celebrans uti potest mitra, annulo cum unica gemma, et Cruce pectorali sine gemmis.

(a) *Ex Opusc. Benedicti XIII. Tit. XVII. §. II. n. 7.*

6. Pontificaliter celebrantes nequeunt uti faldistorio, et sedere debent in scamno cooperto tapete, vel panno coloris currentis.

7. Nequeunt uti palmatoria.

8. Nequeunt salutare populum dicendo: *Pax vobis*, loco dicendi: *Dominus vobiscum.*

9. Mitra a Canonicis, ejus usum habentibus, deferri nequit in capite dum sacris induti intersunt sollemni Processioni SS. Corporis Christi, non obstante consuetudine contraria, quae abusus declaratur.

§. III.

De usu mitrae absente Episcopo.

1. Mitra a Canonicis ejus usum habentibus adhiberi potest etiam Episcopo non celebrante, absente, vel sede vacante.

2. Benedictionem in fine Missae unico signo impertiri debent ut alii Sacerdotes.

3. Nequeunt dare trinam benedictionem cum venerabili Sacramento, etiamsi induti sunt mitra, aliisque paramentis, vel non.

4. In Metropolitana nequeunt uti mitra, et Pontificaliter celebrare Missas pro Defunctis.

5. Canonicus defunctus non debet in loculo efferri, et tumulari cum mitra.

*

6. In funerali anniversario Canonici defuncti super tumulo ligneo erigi solito non debet superimponi mitra.

7. Et ad sepulchrum Canonici defuncti non debet ad tholum mitra suspendi.

8. Singulis Canonicis extra Ecclesiam invitatis, non praesente toto Capitulo, non licet uti mitra.

§. IV.

Conclusio Appendicis.

1. Quae in hac Appendice notavimus ex Authenticis Decretis Sacrae Rituum Congregationis fideliter exscerpta sunt, praesertim ex iis, quae edita fuerunt pro Cathedrali Panormitana circa usum mitrae eis concessum a felicis. recordat. Clemente IX. (*a*), et pro Canonicis Metropolitanae Urbinaten. (*b*) circa usum Pontificalium, aliarumque praerogativarum exercitium, quas Dignitates, et Canonici ultra Pontificii Brevis s. m. Ben. XIII. limitationem sibi indebite adrogabant.

2. Item generaliter, quae ab eadem Sacra Ri-

(*a*) *Decr. Auth. Tom. III. n.* 2903.

(*b*) *Decr. Auth. Tom. IV. n.* 4075.

tuum Congregatione sancita sunt pro Canonicis habentibus usum mitrae (*a*).

3. Tandem subjicimus Decretum generale novissime a Sacra Rituum Congregatione emanatum, et a SS. Domino Nostro Pio Papa VII. Apostolica Confirmatione munitum (*b*), videlicet:

» 1. In sacris functionibus sive publicis, sive » privatis, non licere Dignitatibus, et Canonicis, » Superioribus Regularibus, Praelatis quoque Ro» manae Curiae, Protonotariis Apostolicis hono» rariis, aliisque omnibus, quocumque nomine » nuncupentur, quibus ex Jure non competit, » etiamsi habeant ex Indulto usum mitrae, Pal» matoriam adhibere, nisi Apostolico Privilegio » donentur, vel hoc personale sit, vel corpori, » cujus membra sunt attributum, ita tamen, ut » non aliter eo uti possint, quam servatis modo, » et forma, et cum limitationibus, et condi» tionibus in Apostolica concessione praescriptis «.

» 2. Dignitatibus vero, et Canonicis, etiamsi » gaudeant Indulto deferendi cappam, et rocchet» tum tam in propria, quam in alienis Ecclesiis;

(*a*) *Decr. Auth. Tom. III. n.* 2835. *et n.*2903.

(*b*) *Die* 4. *Junii* 1817. *Decr. Auth. Tom. VI. p.* 1. *n.* 4387.

» hujusmodi tamen, aliorumque Canonicalium In-
» signium usum extra propriam Ecclesiam, lici-
» tum esse dumtaxat quando capitulariter ince-
» dunt, vel assistunt, et peragunt sacras functio-
» nes, non autem si intersint uti singuli, nisi
» speciale privilegium, nedum Collegium com-
» prehendat, verum etiam singulariter, et distin-
» cte ad personas extendatur ».

De alio Decreto generali nuper Expresso (a).

» Quodcumque privilegium ad augendum Insi-
» gnium quarumdam Ecclesiarum splendorem ab
» Apostolica Sede Dignitatibus, Canonicis, Rectori-
» bus, aut alio quocumque nomine nuncupatis con-
» cessum, utpote laesivum Dignitati Episcopali, de
» jure strictissime est interpretandum. Quamobrem
» nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud,
» quod est speciatim expressum, neque ex indul-
» to uno, alterove privilegio, trahi potest con-
» sequentia ad alia, quae singillatim descripta
» non fuerint ».

Pro hujus Appendicis Coronide addenda est haec novissima Constitutio SS. D. N. Pii Papae VII.

(a) *N.* 5. *Decr. Aut. Tom. VI. p.* 1. *n.* 4443.

SS. D. N. PII

DIVINA PROVIDENTIA PAPAE VII.

CONSTITUTIO

QUA CONFIRMATUR DECRETUM S. R. C. SUPER DECLARATIONE PRIVILEGIORUM CIRCA USUM INSIGNIUM PONTIFICALIUM, QUIBUS EX SEDIS APOSTOLICAE INDULTO NONNULLAE GAUDENT DIGNITATES etc.

Decet Romanos Pontifices pro impensa ipsorum in Ecclesiae bonum sollicitudine maximopere adniti, ut quae per Eos identidem decernuntur privilegia, praestitutis legibus apprime contineantur, ne vitio illorum, quibus ea delata sunt, rectum inde ordinem perturbari, aliorumque jura laedi contingat. Sapienti proinde consilio Praedecessoribus Nostris visum est, re prius per Congregationem Sacris Ritibus praepositam discussa, opportune praefinire, quidnam juris inducant Mitrae, ac Pontificalium usus, aliaque id genus insignia, quibus placuit Apostolicae Sedi

Abbates, Praelatosque nonnullos Episcopo inferiores, et quaedam Canonicorum Collegia honestare. Ita sane felicis recordationis Alexander VII. Praedecessor Noster, habita coram se Sacrorum Rituum Congregatione die XXVII. Septembris An. MDCLIX., Decretum sancivit, quo leges traduntur de usu Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus tributo; itemque felicis pariter recordationis Benedictus XIV. Constitutionem, quae incipit - *In Trono Justitiae* - edidit III. Kal. Martii an. MDCCLII. ad Decreta adprobanda, quae eadem Congregatio vulgaverat de privilegio Pontificalium, quo Urbinatense Capitulum haud ita pridem auctum fuerat.

Haec vero, aliaque in eam rem data Decreta ex ipso temporum lapsu, quandoque etiam ex eorumdem ignoratione, sua interdum executione carere, multaque ab ipsorum praescriptionibus plane absona percrebescere dolendum est, quibus in Rei Sacrae perniciem converti conspiciuntur, quae ab Apostolicae Sedis indulgentia ad cultum, religionemque in Sacrorum tractatione ipso etiam ornatuum splendore liberaliter obvenere. Crebrae idcirco, et graves querelae perlatae ad Nos sunt, ut et Episcopalis Ordinis Majestati consulamus adversus eos, qui ex communione, quam obtru-

dunt, privilegiorum cuncta pene, quibus Episcopalis Dignitas splendescit, sibi adtributa arbitrantur, et accuratam Sacrorum Rituum observantiam vindicemus, quos talium concessionum praetextu impune perfringi admonemur.

Ne itaque usus hujusmodi inordinatus privilegiorum diuturnitate temporis convalesceret, occurrere tanto huic malo decrevimus, id adhibentes remedii, quod expostulationes illae, quarum aequitatem probe noveramus, eflagitabant: neque remittendam duximus occasionem, quam ex dubiis nuper propositis de usu Pontificalium in Metropolitana Barensi nacti eramus, ad praestitutas de eo regulas iterum injungendas. Quare, cum rationem rei universam memoratae Rituum Congregationi perpendendam demandaverimus, Decretum ab eadem prolatum est die 27. Augusti anni proxime praeteriti, quod hic adjungimus videlicet » Ex Romanorum Pontificum indulgentia » certa quaedam illustria honoris insignia Collegiis » Canonicorum vel a priscis temporibus adtribui » consuevere, quibus et Ordinis Majestas commendaretur magis, et ipsa Sacrorum procura» tio splendidiori apparatu ad Populorum animos » in Divinae Rei venerationem impensius compa» randos effulgeret. Ast cum ea sit rerum humana-

» rum conditio, ut quae providentissime consti-
» tuta primum fuere, pravo deinceps usu, atque a
» Concedentium voluntate plane absono infelici-
« ter pervertantur, id et de Canonicalibus pri-
» vilegiis ut plurimum contingere, graves undi-
» que invalescunt querelae hominum et auctori-
» tate et sapientia praestantium. Nedum enim
» modus Pontificio Diplomate praestitutus inter-
» dum violari conspicitur, sed id crebro honoris,
» ac privilegii usurpari, nulla habita locorum,
» actuum, personarumque ratione, quod vix pri-
» moribus ex Ecclesiastica Hierarchia datum di-
» gnoscitur.

« Tanto huic malo convellendo haud semel ad-
» laboravit Sacra Rituum Congregatio, quae ad
» rectam rerum Sacrarum actionem ordinandam
» est praeposita: atque idcirco, quod praecipuum
» abusuum id genus caput est, privilegium Pon-
» tificalium Collegiis Canonicorum insignioribus
» liberaliter collatum statis quibusdam conditio-
» nibus moderandum curavit, praesertim in Pa-
» normitana die 22. Aprilis 1684., et in Urbi-
« naten. die 29. Januarii 1752.

» Novis tamen et deterioribus adhuc percrebe-
» scentibus adversus haec instituta consuetudini-
» bus, nonnullisque dubiis nuper delatis super

» usu Pontificalium in Metropolitana Ecclesia Ba-
» ren. placuit SS. Domino Nostro Pio Papae Se-
» ptimo rem universam eidem S. Congregationi
» discutiendam demandare, quae, exquisita prius
» sententia S. Congregationis Caeremonialis Se-
» cretarii, itemque Sedis Apostolicae Caeremo-
» niarum Magistri, cunctisque rationum momen-
» tis accurate, diligenterque perpensis, edendum
» censuit Decretum, quo Pontificalium privilegia
» declarentur, certisque Legibus ad Ritualium
» praescriptionum normam coerceantur. Ejus por-
» ro Decreti Articuli sunt, qui sequuntur.

» 1. Sacra peragere Ritu Pontificali de jure in-
» haeret dumtaxat Episcopali Dignitati.

» 2. Praelati Episcopo inferiores Pontificaliter
» celebrant ex privilegio, sed ornatu moderatio-
» ri, statutis tantum diebus in propriis Ecclesiis
» ab Episcopali jurisdictione exemptis, et tenen-
» tur in reliquis omnibus adamussim servare ge-
» neralia Decreta Alexandri VII. a Benedicto XIV.
» confirmata.

» 3. In Ecclesiis non exemptis vetantur iidem
» Pontificalia exercere, etiamsi intercedat expres-
» sa Ordinarii Loci licentia.

» 4. Dignitates, Canonici, Rectores Ecclesia-
» rum quocumque nomine insignium, prohiben-

» tur Ritus et Caeremonias pro Episcopis, et
» Praelatis inferioribus designatas in sacris pera-
» gendis adhibere, aut ornatum aliquem Pontifi-
» calem induere, absque speciali Apostolicae Se-
» dis privilegio.

» 5. Quodcumque privilegium ad augendum In-
» signium quarumdam Ecclesiarum splendorem ab
» Apostolica Sede Dignitatibus, Canonicis, Re-
» ctoribus, aut alio quocumque nomine nuncu-
» patis concessum, utpote laesivum Dignitati Epi-
» scopali, de jure strictissime est interpretan-
» dum. Quamobrem nil aliud concessum intelli-
» gendum est, nisi illud, quod est speciatim ex-
» pressum; neque ex indulto uno, alterove pri-
» vilegio trahi potest consequentia ad alia, quae
» singillatim descripta non fuerint.

» 6. Nec tamen, posito privilegio, omnia
» omnibus aeque competunt, sed discrimine est
» opus inter Celebrantem, et Assistentes cum In-
» signiis Pontificalibus.

» 7. Nam Celebranti quaedam competere pos-
» sunt Pontificalia Insignia; non item Assistenti-
» bus, dum Dignitates, Canonici, Rectores etc.
» sacra sumere debent indumenta.

» 8. Sub generico ornamentorum Pontificalium
» nomine, quae ex privilegio Apostolica Sedes

» insignioribus Capitulis quandoque concedit, in-
» telliguntur dumtaxat, ex pluries decisis a Sa-
« cra Congregatione, caligae, sandalia, nec auro,
» nec argento ornata, sericae item chirothecae,
» Dalmatica, Tunicella, Annulus cum unica gem-
» ma, Crux pectoralis sine gemma, Mitra sim-
» plex ex tela alba cum sericis laciniis rubei coloris.

» 9. Hisce omnibus uti poterit solummodo Di-
» gnitas, Canonicus, aut Rector sollemniter cele-
» brans, nisi forte privilegium non omnia haec,
» sed aliqua dumtaxat Insignia permittat.

» 10. Qui vero in Missa sollemni Diaconum, et
» Subdiaconum agunt, etiamsi sint Dignitates,
» Canonici etc. nec Mitram, nec ullam aliud Pon-
» tificale Indumentum, nec Palmatoriam, si il-
» lius privilegio polleant, ad Evangelium, et ad
» Epistolam adhibere poterunt.

» 11. Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus etc.
» Missam cum Insigniis Pontificalibus sollemniter
» celebrare liceat iis dumtaxat diebus, in quibus
» celebrant vice Episcopi absentis, vel impediti,
» vel vita functi, aut in quibus Episcopus assi-
» stit, vel assistere deberet cum Pluviali et Mi-
» tra. In reliquis diebus, etiamsi sollemnibus,
» celebrent more solito.

» 12. In Ecclesiis Civitatis, et Dioecesis cum

» Insigniis Pontificalibus celebrare ipsis non liceat,
» nisi in majoribus sollemnitatibus assentiente Epi-
» scopo, et assistente Capi tulo.

» 13. Nunquam vero iisdem utantur in Missis
» pro Defunctis, licet Episcopus assistat cum Plu-
» viali et Mitra, sed celebrent more solito.

» 14. Si Dignitas, vel Canonicus etc. ab Epi-
» scopo designetur pro admittenda aliqua Puella
» ad Religiosum habitum, vel Novitia, expleto
» tyrocinio, ad sollemnem Professionem, Ponti-
» ficalibus Insigniis uti nequeat, nisi de expressa
» Episcopi licentia, qua obtenta, iis tantummo-
» do utatur, quae actioni conveniunt.

» 15. Cum Pontificalibus Indumentis Celebrans,
» nec Faldistorio uti potest, sed sedere debet in
» scamno cooperto tapete, vel panno coloris, qui
» Officio diei respondeat.

» 16. Nequit praeterea tam in sollemni, quam
» in Missa privata Sacras Vestes sumere ex Alta-
» ri, uti Canone, Palmatoria, Presbytero assi-
» stente, salutare Populum cum ver. *Pax vobis* -
» loco ver. *Dominus vobiscum* - aut trinam dare
» benedictionem post Missam, vel cum Sacra-
» mento, et si quae sunt alia, quae solis com-
» petunt de jure Episcopis, et ex privilegio Prae-

» latis inferioribus, dum his Pontificalia peragere » statis diebus concessum est.

» 17. Dignitates, Canonici, Rectores etc., » quando parati assistunt Episcopo Pontificaliter » celebranti, Mitram solummodo adhibere possunt, » quam pariter deferre poterunt Sacris Indumen- » tis, videlicet Pluviali, vel Casula, vel Dalmatica » amicti in Processionibus SS. Corporis Christi, » Benedictionibus Candelarum, Cinerum, Palma- » rum, etiamsi has functiones peragat Dignitas, » vel Canonicus loco et vice Episcopi absentis, » impediti, aut vita functi.

» 18. Assistentes Episcopo tam in Altari, quam » in Cathedra quando ministrant, vel cum eo » operantur, stare debent detectis Capitibus.

» 19. Sollemniter Celebrantes, dum Episcopus » Sacra assumit Indumenta, aut solium ascendit, » stent sine Mitra.

» 20. Non liceat eis uti Pulvino sub genubus, » Episcopo praesertim assistente.

» 21. Non adhibeatur Acolythus ad tenendam » Mitram cum holoserico velo e collo pendente, » nisi pro Dignitate, Canonico, Rectore etc. sol- » lemniter celebrante, vel Sacramentum in Pro- » cessionibus deferente.

» 22. Dignitates, Canonici, Rectores in Pro-

» cessione SS. Corporis Christi Sacris Indumentis
» amicti Mitram manu deferant, nec eadem caput
» operiant.

» 23. Praeterea reliqua omnia, quae non sunt
» in privilegio expressa, ut vetita censeri debent.

» 24. In Missis privatis, quoad Indumenta,
» Caeremonias, Ministros, Altaris ornatum a sim-
» plicibus Sacerdotibus non differant: sumant
» proinde Sacras Vestes in Secretario, non utan-
» tur Cruce pectorali, unico Ministro contenti
» sint, non sibi velint aquam ministrari cum
» Pelvi et Urceolo, et duae tantum Candelae
» luceant in Altari.

» 25. Defuncti nequeunt in Loculo efferri,
» nec tumulari cum Mitra.

» 26. In eorumdem Funeribus, seu Anniver-
» sariis super Tumulo erigi solito non apponatur
» Mitra.

» 27. In Insigniis, seu Stemmatibus Familiae
» Mitra non apponatur, nisi solo in casu, quo
» expresse concessum sit in Literis Apostolicis.

» 28. Quod si super praemissis aliquod exo-
» riatur dubium, hoc ad Sacram Congregationem
» deferatur, quae, pro qualitate dubii, providebit.

» Si quae vero Capitula amplioribus, ac praeter
» hujusce Decreti instituta, privilegiis se aucta

» fuisse arbitrentur, peculiaria haec jura in Sacram » Congregationem perpendenda deducant, ut quod » e Canonicarum sanctionum praescripto visum » fuerit, opportune decernatur.

Hoc porro Decretum ac rationum momenta, ceterasque S. Sedis praescriptiones, quibus illud fulcitur, diligenter consideravimus, cumque experientia edoceamur ex minus recto privilegiorum hujusmodi usu, plura incommoda redundare, ac praesertim haud parum detrahi splendori Episcopalis Dignitatis, quam sartam ubique ac tectam nostri est muneris protueri, idem Decretum, ut illius dispositio firmius subsistat, atque accuratius observetur ab omnibus, Auctoritate Apostolica tenore praesentium adprobamus, et confirmamus, eique perpetuae, inviolabilisque firmitatis robur, vim, et efficaciam adjicimus, illudque ab iis omnibus, et singulis, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, firmiter, et inviolabiliter observari, et adimpleri, nec ab illius observantia, et adimplemento ullo unquam tempore recedi debere mandamus.

Praeterea hisce nostris Apostolicis Literis ea iterum ad observationem revocari volumus, ac, quatenus opus sit, denuo adprobamus, et sancimus, quae per Praedecessores Nostros, ac prae-

sertim per felicis recordationis Alexandrum VII. in memorato Decreto diei 27. Septembris 1659, illiusque declaratione edita sub die 20. Julii 1660, nec non per fel. rec. Benedictum XIV. sua Constitutione, quae incipit - *In Throno Justitiae* - atque alias per Sacrorum Rituum Congregationem praescripta fuerunt de usu Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus, et Canonicis, attributo.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis, aliisque locorum Ordinariis per Apostolica scripta mandamus, ut praesentes nostras literas, atque omnia, et singula in eis statuta, faciant Auctoritate nostra debitae executioni demandari, illasque inviolabiliter observari, contradictores, et inobedientes quoslibet, per opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Praesentes autem literas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, ac nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, aut in jus, vel controversiam vocari; nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis di-

spositionibus, per Nos, et Sedem Apostolicam praedictam sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et Decretis, etiam motu proprio factis et faciendis, comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore et esse, suosque plenarios effectus sortiri, et obtinere.

Sicque, et non alias per quoscumque Judices Ordinarios vel Delegatos, quavis Auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac praefatae S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Non obstantibus quibusvis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit, Ecclesiarum, quarum Capitulis Pontificalia Insignia concessa reperiuntur, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis et Literis Apostolicis, qui-

busvis Personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter et expresse, nec non opportune et valide ad praemissorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium Transumptis seu Exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae adprobationis, confirmationis, commissionis, decreti, mandati, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo vigesimo tertio, quarto nonas Julias Pontificatus ostri Anno Vigesimo quarto.

II. CARDINALIS CONSALVUS

A. Benigne Sub Dat.

Visa de Curia - D. Testa

Loco ✝ Plumbi *F. Lavizzarius.*

L' Incaricato de' Regj Exequatur.

Veduto il transunto della Costituzione Apostolica spedita in Roma il dì 4 Luglio 1823, colla quale, dietro il parere della S. Congregazione de' Riti espresso con suo decreto de' 27 Agosto dello scorso anno, è venuta la Santità di Pio VII di felice ricordanza, approvando e confermando il decreto anzidetto, a dichiarare il modo come e quando debbono far uso delle Insegne Pontificali così i Prelati inferiori, come le dignità ed i Canonici delle Chiese Cattedrali, e Collegiate decorate di tale prerogativa.

Veduto altresì il Real Rescritto de' 30 dello spirato Agosto spedito per mezzo della Real Segreteria di Stato degli Affari Ecclesiastici, con cui Sua Maestà coerentemente al parere di questo Uffizio si è degnata ordinare che s' impartisca su detta Costituzione il Regio Exequatur colla clausola bensì: salvi i Regj dritti, e si osservino le Leggi, e la Polizia del Regno:

Si esegua l' enunciata Costituzione Pontificia a norma del prelodato Real Rescritto.

Napoli 6 Settembre 1823.

Domenico Criteni.

Lo Spedizioniere-Pietro Frenna.

INDEX

TITULORUM, CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.

INDEX

Praecipuarum rerum notabilium.

A S. E. REVERENDISSIMA

MONSIGNOR ROSINI

PRESIDENTE DELLA REGIA UNIVERSITA' DEGLI STUDJ, E DELLA GIUNTA DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE

Signore

Gabriele Porcelli desidera stampare il libro intitolato: *Manuale Pontificum Functionibus persolvendis Candelarum, Cinerum, Majoris Hebdomadae, ac Vigiliae Pentecostes Episcopo Celebrante, vel Assistente ab Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Dom. Francisco Felice ex Comitibus Tiberii Episcopo Valven., et Sulmonen.*, ne implora l'analogo permesso, e l'avrà - Gabriele Porcelli.

Presidenza della Giunta per la Pubblica Istruzione - A dì 6. Luglio 1823. - Il Regio Revisore Sig. D. Biagio Roberti avrà la compiacenza di rivedere l'Opera soprascritta, e di osservare se vi sia cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità - Il Deputato per la revisione de'libri, firmato - Canonico Francesco Rossi.

Eccellenza Rever.

I riti sagri, e le Ecclesiastiche ceremonie sono con ispecialità dirette a fare vieppiù risplendere il culto di Dio ed il decoro della sua Chiesa: *Decor Ecclesiastici ordinis*, scrive il Dottor S. Girolamo, *eo magis elucet*, *quo sacri ritus scrupulosius observantur*. A tale imponente oggetto par che tendano le mire di Monsignor Tiberi Vescovo di Sulmona nel compilare quel manoscritto da Vostra Eccellenza Reverendissima trasmessomi per la conveniente revisione, cui è il titolo - *Manuale Pontificum pro functionibus etc.* Ivi ammiro un Pastore zelantissimo, e tutto inteso a prescrivere ed ordinare le più minute tracce degli Uffizj Pontificali per la gloria del Signore, e per lo spirituale profitto del fedel Popolo circostante. I dritti della Sovranità sono ivi attentamente riguardati. Son di parere perciò, che possa permettersene la stampa. Mi do l' onore di soscrivermi.

Napoli 5. Agosto 1823.

Di Vostra Ecc. Rev.

Divotiss. ed Obbligatiss. Servitore
Biagio Roberti Regio Revisore.

Napoli a dì 27 Ottobre 1823.

PRESIDENZA DELLA GIUNTA PER LA PUBBLICA ISTRUZIONE

Veduta la dimanda dello Stampatore Gabriele Porcelli, con la quale chiede di dare alle stampe un' Opera intitolata: *Manuale Pontificum pro functionibus persolvendis Candelarum, Cinerum, Majoris Hebdomadae, ac Vigiliae Pentecostes Episcopo celebrante, vel assistente ab Illustr. et Rev. Domino Francisco Felice ex Comitibus Tiberii Episcopo Valven, et Sulmonen*;

Veduto il favorevole rapporto del Regio Revisore Sig. D. Biagio Roberti;

Si permette, che l'indicata Opera si stampi; però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuta nel confronto uniforme la impressione all' Originale approvato.

Il Consultore di Stato Presidente
M. Rosini.

Il Consultore di Stato Segretario Generale
e Membro della Giunta
Loreto Apruzzese.